Olszowski Andreas
Archiep. Gnesn.
1675

Calissiensis Coll. S. J. Honorum non plus ultra
Gnesnensis tiara.

GN

R

D

O

A

REG

EIV

ET AR

IN

Ann

# HONORVM
# NON PLVS VLTRA
# GNESNENSIS TIARA

*CELSISSIMO PRINCIPI*

REVERENDISSIMO ARCHIPRÆSVLI

# D. ANDREÆ OLSZOWSKI

ARCHIEPISCOPO
GNESNENSI

*LEGATO NATO*

*REGNI POLONIÆ & M. D. LITHVANIÆ PRIMATI*

*PRIMOQVE PRINCIPI*

EIVSDEM MERITIS IN AVGE CONSISTENTIBVS

DELATA

ET ARCHIPRÆSVLEI COLLEGII CALISS: SOC. IESV,

*PLAVSV AC PANEGYRI*

IN PRIMO PRIMATIALIS CATHEDRÆ ADITV,

CELEBRATA.

Anno Nati è VIRGINE Primi Principis,
Primi Summique Præsulis
M. DC. LXXV.

P.



# AD CELSISSIMUM PRINCIPEM ILLUSTRISSIMUM ac REVER: ANTISTITEM DOMINUM DOMINUM

# ANDREAM OLSZOWSKI.

## Archiepiſcopum Gneſnenſem, Legatum Natum, &c.

*AMica ſemper frequentiæ odit ſolitudinem illuſtris pompa, & nuſquam Principem infert, quin ſecum plauſus certatim rapiat.* Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Archipræſul. *Non quævis tamen ſincero plaudentium ſtipatur ſatellitio, uti non omnes alienam amant purpuram, quam colunt; ſed aſſentatio plauſuum ſcenæ moderatur, quæ diſſimulat magis quandoq; odia, quàm gaudia profitetur; vel ſi calamum in plaudendi obſequia rapit, ſæpe animum tegit Oratio, & calami amat mendacia, atq; adeo coacta eſt inibi omnis laudatio, per quam fuci conſcius ſermo imponat veriùs quàm extollat. Sed à perſonato dicendi plauſuumq; genere longe nos removit Tua,* Princeps Celſiſſime, *inauguratio & noſter religioni ſibi duceret calamus immortalia Tua de hoc Imperio merita à fucato & calamiſtrum paſſo non ſecernere charactere. Licet in animis id legere, quibus priùs quàm principi Cathedræ inſediſti, per præcordia viam ſanè auguſtam ingreſſus, ultra veterum etiam Principum felicitatem, qui per humeros hominum ſuccollantium ivère in urbes ac ſolium, veriti terræ contactu atterere Majeſtatem. Et ſanè ita animi ſub hac auguratò initi Honoris pompa calamos perfungi jubent, ut nihil de ſerijs animorum votis deterat profanis ſæpe immiſta ingenijs aſſentatrix ſimulatio. Loquimur ſine blandientium fuco, quod merita Tuæ Celſitudinis inſpirant, & gaudium ſuopte ingenio facundum imperat. Porrò quæ animos, eadem & ſtylum inundat lætitiæ copia, & facilè conſtat, unde tam beata profluxerint diluvia, cùm apex hâc ſcatebrâ felix, quem auſpicatior inſcendis, non aliter Tibi latere concedat, quàm altiſſimis montium jugis, quibus latebræ facultatem nativa adimit eminentia. Nimirum ut alta ſibi ipſis faſtigia parte aliquâ ſuccumbunt, ſeque ipſa veluti ſub jugo ducunt & opprimunt, ſic ſuum in conſpicuo ponunt, quo alia inûbrant, caput.*

*Nec diffitemur, ad omnes hanc permanare lætitiæ ſcatebram ac neceſſitatem, quam primæ in Regno dignitatis aditu infudisti; eò quòd communis gaudij vena aperitur, dum emeritæ ſummis Faſcibus contingunt animæ, & publicæ id rei perquàm intereſt, tales in principem Purpuram adlegiſſe: tamen non minima Caliſſienſi literarum emporio affluxit inde etiam voluptas, quod Tuis olim conſecratum veſtigijs prima ingenij lumina ſuſpexit, & Gneſnæ infulis obſtrictum in KARNKOVIO, Tibi etiam quodam ſucceſſionis jure ſentit ſe obnoxium. Neque diſſimulamus gaudia, vel inſtauratis ex animi ſententia plauſibus moram injicimus; imò, ſi lentiùs hi ſeſe in paginam extulêre, votis præcurrimus, eam quâ recenti aſpergimur voluptatem feſtivæ acclamationis internuntiâ voce ac ominibus etiam libello non pectori tantùm impreſſis teſtaturi. Perennitati enim plauſuum conſulitur, dum illos in charta defigimus, non quòd non ſatis cum animo perennent, ſed ut gemina quædam excipiat illos æternitas. Imò lucubratio diuturniùs præſtat, quod ſemel utrumqué animus adornavit: nam & huius languet officium, dum per varia mentem trajicit; at idem ſcripti voluminis ſenſus omni ævo perſeverat: idem loquitur ſemper, quod ab erudita ſemel charta didicit, vel quod à prælo accepit literario. Partitò autem Tua decurruntur encomia, ut diſpuncta per partes clariùs Te Orbis ſpectaculo proponant, quàm ſi vaſtiore ambitu circumducta velut in oceano ſeſe quædam amitterent; ut ea, quæ pelagus haurit, periiſſe creduntur, etſi profundo abdita teneantur. Et tædium fugat neſcitqué faſtidia legentis ſic digeſta ſcribendi ratio; etſi tædijs anſam auferat Tua, quam immortalitati inſcribimus, tot decorum numeroſitas hîc compendium quidem paſſa, ſed ita ut nihil è calamo effluxerit, quod facundiæ monimenta æquè exornet ac Patriam hilaravit. Par enim eſt, ut, qui prima inter Patriæ ſidera numeraris, totus luceas & in pagina. Tu nihilominus,* Primas Illuſtriſſime, *ita in hæc eruditæ mentis aciem defiges, ut novo luminum afflatu, quidquid lucubrationi umbrarum ineſt (nam & umbram protinus fundunt, quæ in luce ponuntur) pro magnorum more ſiderum diſcutias, etiam tunc beneficus, dum umbris ad Te aditu interdices, niſi à Te Solem induant Orientem. Ita precatur, ſibiqué voti non irritum ſpondet*

Illuſtriſſimæ Tuæ Celſitudini

Devinctiſſimum

Collegium Caliſſienſe

SOCIETATIS IESV.

# I.

# CELSISSIMI PRINCIPIS COGNATVS SPLENDOR.

A Cognata Propaginis luce radium ducat lucubratio,
Hoc est, ante primæ Purpuræ cultum calamus aucto sanguini immergatur.

**A Majoribus oriuntur Maximi,**
Et dum pulchrâ origine ingenia fatigant, paginā adornāt.

**Nec nativas faces Aræ Majestas refugit.**
*Ceras etiam hæc amat, quibus ardeat;*
*Et Imagines ab ætatum fuligine fumosas recipit, quas adoret.*
Quantò magis Aræ Principis fulgor in originem inquirit?
*Pallet enim Purpura,*
*Dum imparem fortunæ induit Candidatum.*
*Imò pudor quidam est Purpuræ, inhabiles lacertos operire,*
*Quam non quivis meruit quisquis obtinuit.*
Lux quidem Majorum in umbras desinit,
Quoties vitæ occasum attigit; (borat,
Sed Fama ab hoc etiā umbrarū recessu luce nepotū eruere la-
Quasi unius occasus alteri ortus esset.
Vt etiam noctium tenebræ diurnū lumen fundūt;

**Adeoq; noctis partus illustris, Dies est!**
Splendide ergo primò in solem prodeunt illustres Animæ,
Et Sid' terris arisq; inserūt, quod Majorū radijs solē extinguat.
Frigidum quidem laudationis genus videri queat,
Quod etsi calet in sāguine, tamē ætatū serie sensim defervescit;
Atq; adeo etiā quæ vetusta, ut in arborib', cariē timēt fetiūtq;,
*Sic persæpè in Arbore Consanguinitatis.*
*Imò vix laudibus accensetur,*
*Si inde alicuius ducantur Panegyres,*
Vnde plurium soleant, ferè omnium possint.

Tamen non irrito conatu Magnorum Fluminum fontes investigat Oratio.
Conſcia, quòd ab illis Oceanus laudum ſuccreſcat ac in paginam exundet.
Scit inſuper Faſcijs etiam nobiliores innecti Faſces,
Cùm & cæli ſemitam involvat Faſcia,
Per quam ſolis ac luminum via panditur.
Nemo attamen in hac Principe Regni Infula emēdicatò luxit,
Sed aut ſecum lucem intulit, aut fecit,
*Minoris id enim faculæ eſt mutuatò fulgere,*
*Cui niſi lychnulum accendat faſtigij claritudo,*
*In conſpicuum iret ejus nativa obſcuritas.*
Nemo huc ſolitario paſſu evaſit,
Quin ſecum traheret deductam è Majorum atrio pompam:
Nam pulchra ſemper nomina hanc implêrunt tiaram,
Etſi nondum impleverint capacitatem
Quam nullus ſequacium annorum ordo coërcet
Et qui ſuccedunt, adæquare non tempora nituntur, ſed æternitatem.

Adhuc tamen Gneſnæ Infula

Deliquium lucis per obitum priorum Principum paſſa,
In Te Superſtite radio luculentiùs effulget,
Illuſtriſſime Princeps.
Quot enim Heroas in hoc atrium fortunæ Tecum per affinitatis fœdera indūcis!

Paternum genus Patritius fulgor ſerenat

Inter Regni munia, ex uſu Patriæ propagatus,
Alit hoc primigenij luminis pignus

Regni Dapifer,

In cujus actis nihil non ad omnium ætatum guſtum:
Ejuſdem adyta reſerat
Nec limites præfigi patitur, quin latè abeat

Succamerarius Wielunenſis;

Quorum inter fraterna Tecum fædera
Caſtorem & Pollucem non libet cælis invidere
Ne hic taceam extinctum nuper,
(Etſi has inter eclipſes oritur, qui tam illuſtris moritur)
Chri-

Christophorum Siradiæ Dapiferum,
Cui tandem Regalis mensæ obsequijs interdixit,
Qui summa etiam intervertit,
Dies postremus vitæ, non famæ,
Quæ fatorum vices & mortalitatis leges ignorat.
Nam Maternũ genus primævos tot familiarũ nitores cõplexũ
Docuit extra cælum etiam Cygnum eminere,
Totiesq; novum in Cygno sidus protulit,
Nisi quòd majus adhuc Te Primo Principe vix offulsit.
Pænè cum lacte, Lacteam cælorum viam inijsti,
Tot stellis consertam, quot stirpibus cognatis,
In quibus aut Ducem, aut Præsulem tellus coluit.
Clavæ KONIECPOLIOS nôrunt & trophæa,
Venerata Infulas in DZIALYNIIS Prussia,
Quorum Sagittæ dum in metam gloriæ collimãt, nec exerrãt,
Sagittarium terris etiam accendunt,
(Qui non vacuam laudum gerat pharetram)
Vt WOLVCIORVM Vrsa Cynosuram.
Nitent inibi & candidæ MECZYNIORVM Rosæ,
Quarum odore quidni & aræ caperentur,
Cùm illas in Elysia transtulerit ADALBERTVS?
Quẽ Florem etiam in ALBERTO MECZYNIO Iapon alluit
Florum alimento aquâ in tormentum converso,
*Quasi perinde Rosam, ac Narcissum olim aquæ præfocarent.*
Idem Regnatricis Plantæ afflavit odor Wybranovios,
Quibus cùm idem coloret mentẽ, qui ceris incanuit candor,
Iam illis in Te conceditur,
Cognatum candorẽ, Rosis etiam ADALBERTI permiscere.
Traxit in Maternam seriẽ & KOBIERZYCIIS felix cognatio,
Quorũ cum insignibus Caput Bonæ Spei Polonia semper gessit;
Nec Romano Capitolio fuisset potior,
Quàm ab hujusmodi Capite nomenclatio,
Quod ut terræ infert propagatq; lumina,
Sic tuo reciproco favore cumulatiùs serenatur.
Ivêre simul in Tuam originem & Leones SZCZAWINII
Et ZALVSCIANI mitissimum Agni nomen,

Qui lanam in vellus etiam aureum gerat.
Piget in cælos pupillam intendere,
Dum novum terris Zodiacum hæc condunt Tuorũ insignia.
Non surda & Przerembsciæ Domûs fama est,
Quam Tibi nascendi felicitas immiscuit.
Aurem arrigit orbis ad ejus facinora,
Nec veterum suspicit illustria,
Cùm recentium extinguit pænè obruitq; oculum serenitas.
Non gratis aurem in imagine nativa gerit;
Habet quod audiat,
Si ad encomia tot sæculorum se tantisper acclinet.
Quid Mycielsciorum? quid MODRZEWSCIORVM Solea?
Tutius hæc in terris gradum figere novit,
Et terras fortunato volatu prætergredi.
Nam ut Soleæ gressus firmior,
Sic Sagittæ celsior volatus congruit,
Quam illi Tibiq; consanguineum schema illigavit.
Eodem spectat Biskupsciorum gentilis Sagitta,
Situ etiam ipso in volatum intorta, ac per cælum veluti itura,
Quam ut gemina Crux, ita vel Gentis nomẽ (quod pulchra gerit persæpe omina) consecrat,
Ac in fascijs præsagia Mitræ Pontificiæ Tibi involvit.
Insuper Materno nomini etymon sapientiæ se impressit,
Quòd non rudem animam huic sæculo progigneret:
Nam & hic sapientiæ partus est.
Vel Tua solius mens nomen illud Illustrmæ Parenti sanciret:
Si alibi sapientiæ fætus illustres terra suspicit,
Hic impensiùs amet mireturque.
Talem ergo Candidatum Gnesnensi Cathedræ dedit Duninorum Olor,
Vt Gnesna nidus etiam Olorum esset,
quæ nidus fuerat Aquilarum.
Noverit jam illa,
Quò EQVES Ducalis paulò ante evaserat,
Eodem & Olores non segniùs involare,
Gentilitijs Crucibus ad summa quæq; consecratos.
ILLV-

# II.

# ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS OMNIGENA ERVDITIO.

P*Vlchro ligari fœdere gestiunt Libris Tiaræ :*
Et Aræ brutas pecudes securi ac victimæ destinârunt.
Adeò brutam mentem non amant delubra ,
Vel quam à victimæ fato excultior ratio non eximat :
Excludimus jam templis idola ,
Quæ aurum duntaxat gravet, sensus destituat,
*Quòd illiteratus Antistes idolum sit in infula ,*
*Et sub aureo vellere pecudem gerat.*
Equidem mentis gubernacula non Admeti baculus regit,
sed ratio ,
Nec tam Scipio argenteus, quàm mens aurea.
Malè enim conscientiarum capitur imperium sine scientiarũ
adminiculo ,
Et tiaræ Pontificiæ suffragium sine capite.
Impleat Mitram ratio,
Et Infulæ coronent Magnam Mentem,
Quæ vel animet corpus juris ,
Vel sole Aquinatico cælum efficiat , quócunq; lucẽ intulit ,
Porrò semper aras doctis fulsisse testantur Fulgentij ,
Nec uni Chrysologo purius infudit aurum vitta aurea, quàm
lingua ,
Vel soli Ambrosio apes infantiam melle , facundiam nectare
imbuerunt ,
Aut Africæ monstra in Augustino Herculem expavêre.
Tibi verò quæ mentem non excoluit eruditio,
ILLVSTRISSIME ARCHIPRÆSVL?
Facundiam Civilem probavit stupetq; Curia
Regni Annulo consignatam.
Rosas alij loquantur, Tu aurum, non verba fundis.
Non sine fatorum arbitrio dies Tibi cum CHRYSOSTOMO
communis ,
Qui Te in lucem & Purpuram effudit.

 Nam

*Nam etiam dies secum præsagia ferunt,*
*Nec cum crepusculo vitæ sic oritur aurora, ut non etiã omina oriãtur.*
Quibusdam enim dum loci fortuna natales serenat,
Et mentem luce imbuit;
Sed & temporum puncta illustrem accendunt horoscopum;
*Dierumq; cursus aliquo animum radio cum sole afflant.*
Tibi certè, ortus Chrysostomo dies
Tiaræ sanctioris omẽ, & aureæ torrentẽ venæ in linguã indidit.
Et erat, in quod aurea hæc lingua detonaret,
( Nam lingua etiam fulmen gerit )
Cùm non tam Eudoxias hoc sæculum objiceret,
Quam temporum malignitatem, quæ fulmen meruit.
Sed variæ eruditionis plausum ubiq; excivisti,
*Vt nempe magnis ingenijs ubicunq; est statio, ibi theatrum & plausus.*
KARNKOVIANÆ tamen adyta Sapientiæ antè consecrasti,
Archipræsulis Athenas ingenio dignatus,
Cujus nunc gubernacula inijsti;
Ne semper in Colchidem parando velleri aureo navigetur,
Quod à KARNKOVII Agno trahere liceret.
Iagellonis dein Vniversitas Tibi patuit,
Et Craci propylæa disceptanti applausêre,
Vbi Regali Manipulo literarias laurus nexuisti,
Tamdiu Poloniã primas ingenij faces tenente,
Donec compertum esset, angustum illis fore cælum patrium,
Quin & orbi extero solem darent.
Italia alit decora ingenia,
Vbi limatior literatura domicilium fixit:
Floruêre in Patria, qui Latium illud invisêre.
Sed Italiæ caput antequam adires,
Patavium in Tui admirationem ingenij primò rapuisti,
Abundè inibi relinquens,
Quo Patavinus Scriptor Historiam pulchriùs produxisset,
Et mari Lacteo nectar à Tua deduxisset facundia.
Romam insuper amplitudine laudum implevisti,
Quæ alienis etiam ingenijs colles sæpius fascesq; submisit.
Vt verò tantum advenam excepit Romulus!

Vt

Vt non unus Tibi à Tyberi fluxit gloriæ non aquæ-ductus!
Triumphum Te ibi adornâsse laurea indicat,
Non quæ olim calvitium texit in Cæsare,
Sed quæ in sapientum cæsarie evirescit:
Vix enim jam Roma laureas novit, quas ferro demetat,
Postquam orbem domuit,
Sed adhuc ibi mens post manus triumphat,
Et incruentæ laurus circa frontem doctissimam serpunt.
Ægrè è complexu Te Roma dimiserat,

## Gratiorqué illi Tuus nativus Olor, quàm Capitolij sospitator Anser:

Sed desiderio pretioq; Tui relicto in urbe, hæsisti pòst Mediolani,
Atq; ab Ambrosio mella iterum in linguam deduxisti;
Nec fons deerat,
Qui sitim eruditionis suaviter deliniret,
Vbi scatebram obtulit
Borromæa in commune liberalitas in publico bibliothecæ promptuario;
Ne fontes sapientiæ post Ambrosij Atticam ibi exarescerent.
Et placuit Borromæi pulchrum facinus,
Quod tantæ virtutis æmulus Cracoviæ geminâsti,

## Vt Mediolanum à Borromæo, Cracovia saperet etiam ab Olszovio.

Nam parem Te Academiæ gymnasijs præstitisti Mecænatem,
Bibliothecâ duraturis in ævum censibus apertâ,
Quam libris, Patriam librosq; gesti gloriâ replevisti.
Sic aureo censu mentes aureas regno refoves,
*Certum, pulcherrimum esse impendij genus,*
*Quod in literarum adn inicula profunditur!*
Factum abolere nesciet oblivio, vel livor obtundere,
Nisi illi excidat,
Quantum publicæ utilitati prospectum velit,
Qui per libros fovet ingenia.
*Mutus quidem Orator, liber est;*
*Sed dum mentem instruit, linguis silentio interdicit,*

C

Quæ

Quæ nôrunt, ubi infantiã, & rudẽ loquendi imperitiã amisêre.
Quòd sæcula sapient; tuæ gazæ referent:
Scietq; quælibet eruditior ætas,
E cujus Iovis cerebro tam erudita Pallas prodierit.
Sed adhuc Gallia Tui studio exarsit,
Vbi aureo dignior cognomento Lutetia, in Sorbona medullã Sapientiæ defixit.
Aderas, dum in arenam irent pugnaces sententiæ,
Vbi Theologico certamine dum aurem delinis, mentẽ acuisti.
Tandem ingenij famâ Europam emensus,
Solemq; continuò æmulatus
Qui non alio se ubiq; quàm radiorũ indicio patitur internosci;
Redijsti auctior eruditione & gratijs Principum Regnorumq;
Tunc quidem LVDOVICÆ comes, nuper ELEONORÆ Dux ad Regiam Polonorum,
Semper Regum solijs vicinus.
Comitatum ambivêre Regij Paranymphi.
Qui Tui florem animi politioris & ad doctam urbanitatem exculti aliquandiu delibârant.
Amavit eandem indolem ac eruditionem OSSOLINIVS,
Cujus facundia & legationis splendor pretiũq; Roma tenuit;
Qui luculenta panegyri Te ad arcana Principis, ad Regiam destinarat.
Vsq; adeò ingentes animæ prima etiam strictura lucis, oculum præstringunt!

# III.
# MONIMENTA INGENII, FACVNDIÆ ET DOCTRINÆ
## AB ILLVSTRISSIMO EDITA.

Libros Arragonius Princeps mortuos vocat Consiliarios:
Sed vivunt hi; & nemo magis ab anima, qua illi à calamo.
Parum est vivere; etiam mortuos Manes ad vitam revocant,
Nec vetant mori, quorum beneficio lucem vident.
At neq; laus ingenij emoritur cum vita abeunte,
Quod atramento etiam perennis gloriæ inscribit candidatos.
*Laborantis ingenij perpetuus Orator est, Liber,*

Qui

*Qui etiam dum tacet, fundit panegyres,*
*Timetq; oblivio illos aggredi,*
*Qui se contra illam calamus armavêre.*

Quin nec Antistitũ torpuit manus ac eruditio post Ecclesiæ lumina,

Quæ cælos auxêre sideribus, bibliothecas illustribus ingenij monimentis.

*Pulchrum enim duxerunt, non intra se hos tenere fontes, sed in commune derivare:*

Sæpe ignaviæ aut invidiæ reum facit taciturnitas calami.
Sapuêre & Sarmatiæ Antistites in eodem fastigio,
Nam KARNKOVIVM exedra audivit,
Et adhuc fama colit ob sacræ eloquentiæ transmissa in posteros documenta.
LVBIENII Historiam dum evolvimus,
Livium Romæ non invidemus.
Æquè hi calamum versare noverant, ac ovium sceptra,
Nec ita detrivêre paginam,
Vt non è Purpuræ Majestate stylum conformarent:
Aristarchum non extimuit lucubrantium labor,
Quòd metum profligaret invidiâ major eruditio.

**At Tu Archipræsul Eruditissime**

In crisim etiam doctissima excivisti ingenia,
Novumq; evulgari cæpit arcanum,
*Extra Romam Principes (ut imperij) sic ingenij capi posse.*
Romam tamen facundiæ proferendæ delegisti, ubi ejus Parens & rostra.
Ibi seu CASIMIRO Divorum Panegyrim texuisti;
Raro tale præconium retulit Pudor in Purpura:
Seu Hyacinthum in rostra Quiritum intulisti;
Pro Polonorum ingenijs Ajacis nomen induit inermis Oratio:
Seu Thaumaturgum Craci Præsulem STANISLAVM encomio memorares,
Ejus prodigijs accenseri potuit hæc eloquentia.
Nam extincti famam Tullij per te excitavit,
Qui antea in vitæ officium fata erudijt adminiculo æquitatis,
Dum forum ageret iniquitas,
Et mortuo teste coargui deberet Regalis Areopagus.
Aluit hanc linguæ gloriam, SPES PVBLICA,

Quâ Romam in omen publicum Christianæ rei, Tuæq; Magnitudinis excitasti.

Raró sic meminit sese Majestas Romana locutam,

Quàm dum gubernacula Liburnicæ Petri capienti Innocentio X. melioris vela spei expanderes.

Et congruere visum argumento PontificiæMajestatis insigne,

Cùm præsagam publicæ tranquillitatis columbam ominaretur Oratio,

Quòd sub pacis Olea mitescere armorum furor,

Et ferrea ætas crudū pacatiore ingenio proscribere debuisset.

Aliud ergo argumentū dicendi nō placuit in urbiū regnatrice,

Nisi vel Divi Cælites,

Vel DEI Vicaria Majestas;

Quòd secunda cælo Roma nullum augustius offerret caput.

Quid verò Tuæ VINDICIÆ POLONÆ?

His stylum palmarem impendisti, apprimè gnarus,

*Contra hostem ferro, aliàs ultore calamo defendi imperia.*

Nec utrumq; vacare debet ab officio,

Dum sunt, qui manum pervicaciùs lacessunt.

Nescio tamen, an non major laus sit à scribentis manu, dum stylo protegit;

Quàm digladiantis, dum ira vindicis ferri tuetur:

*Quia calamus vulnus infligit immortale,*

*Quod nulla obducat cicatrix:*

*Nec tacet unquam pagina scripto commissum dedecus,*

*Cui contra annorū oblivia vocale os indidit scribentis pennæ miraculū.*

Quodsi quorundam ingenia nostræ gloriæ adversantur,

Meruêre vindex ingenium

Hinc DEFENSA contra Iconem animorum POLONIA

Ab Erudito in Purpura Scriptore LVCA OPALENIO,

Quem non minus Regalis Prodromi honorarium insigne,

Quā eruditio libris & memoriæ posterorū impressa nobilitat.

Et cecinit sanè Pæanem illa Defensio:

Sed Tuæ non minorem VINDICIÆ.

## Nec Tuus triumpho calamus caret.

Etsi antea ferri tantùm gloria Capitolio inferretur,

Et per Portam Triumphalem

In perennitatem famæ irent tantum successus præliares.

Sed

Sed quia nusquam feriari novit erudita in publicũ manus:
Interregni certamina ut consilio temperâsti,
Sic judice stylo coërcitam voluisti quidvis in commune sentiendi licentiam.
Detexit censura, quò vocis libertas non pertigit,
Ne latebrâ fretus regnaret error.
Candidatorum indolem ita stylo depinxeras,
Vt nôsset, quæ in illis amaret Imperiũ, quæ caveret timeretq́;.
*Censendi quidem arbitria non penes quëvis esse voluit natura, ut nec olim Romæ;*
At majus est Censere de Principibus, quàm de Civibus.
Si vexat censura columbas;
Oculatior sit, si velit notare & aquilas.
Vt enim de Principum moribus, genioq́; decernat,
Quæ Regum legumq; peritia?
Quæ morum humorumq́; requirenda?
Per salebras hic ivisset cuivis Oratio,
Ne dum censuram moliretur, Satyram daret,
Et pro civili Aristarcho mordacem Persium;
Sed Tu sentiendi libertatem nulli partium studio obnoxius mollîisti,
*Certus, quòd odij amorisq́; causæ malè verba ministrent.*
Quantum præstiterit hæc censura,
Europa suis linguis loquitur,
Et adhuc fama styli perpetuus Orator.
Nemo non probare potuit reconditæ stylum prudentiæ;
Nec crisim timuit arbiter publicorum calamus.
Illud verò non tam ingenij, quàm pietatis monimentum est,
## Imò fulgur, non Oratio,
Quo fœdera militaris licentiæ perstrinxisti.
Vincula liberæ genti placuêre,
Et libertas in licentiam evaserat;
Sed contra vincula etiam Gordijs implicatiora satis erat calamum strinxisse,
Vt gravi epistola sacrorum injuriam proscriberes;
Illud encomij à Purpurata crisi meritus,
QuòdChrysostomus non sanctiùs aut facundiùs illã exarâsset.
Et meruit majora fandi prodigia acerbitas illa temporum.

 Quâ

Quâ major, quàm Callitrope posset, vel Eudoxia vellet,
Compluribus bonorum jactura impenderet.
Neq; inermis tantùm stylus, vel pagina Tibi pæanem scripsit,
sed lingua sæpius.
Testis Lituanicarum copiarum motus,
Quem unum facundiæ civilis tonitru oppressit.
Comitiorum auctoritas institerat,
Vt domesticæ tranquillitatis arbiter esses;
Et vix ad tumultuantes copias accessisti,
Cùm omnis illa armorum procella subitò dissipata,
Et reducta castris Patriæq; malacia.
*Adeò lingua etiam in turbines gerit imperium.*
An verò diploma taceatur,
Quod fama suopte ingenio garrula loquitur?
Electo Principi IOANNI III felix & primus is in Purpura
Orator obtigit,
Qui ejus electionis acta elaboratissimis sensibus concinnavit.
Parum fuerat domi Principem suffragio,
Et in encomium virtutis solio dignæ disertâ voce designâsse,
Nisi quem coronârat calculo, graviore præconio insigniret.
Si defuerint seculo huic Plinij,
Iam hic Trajanus meliore non eget,
Quàm in eo diplomate nactus esset.
Age PRINCEPS,
Et duraturis in omne ævum voluminibus ac ingenij partu
triumpha,
Cujus pignora ut non unus accepit locus,
Sic non una hic etiam pagina celebrabit.

# IV.
# PERORAT IN FVNERE IOANNIS CASIMIRI REGIS
## POLONIARVM & SVECORVM.

HOc sibi munus arrogârunt olim & Cæsares:
Nec Tacitus id reticet.
Etiam in Te augustale munus transtulit fatum IOANNIS
CASIMIRI.

Hoc

Hoc deerat eloquentiæ, ut regios Manes coronaret.
Vix unquam illa celsiorem conscendit cathedram,
Quàm dum ad Coronati Principis bustum constitit.
*Sic Augustæ Animæ Maiestatem retinent vel in funere,*
*Et extinctæ Serenitati parentari volunt impendio magnæ lucis:*
Opes in Mausolæi fastum,
Linguas principes in mortale præconium eliciunt,
Nec justa peragi sibi putant,
Si non illustrior busto contigit Orator.
*Odit profana suadæ obsequia augustum funus.*
Sed odisse non poterat Panegyrim,
Quæ in Te sacratiorem Plinium incidisset.
Excitat vel functos talis facundia,
Famæ exequias interdicens, quam præconio vivere cogit.
Materia laudis fuit, id quod in Principe desideres.
Nescio tamen, quis plus laudum collegerit,
Extinctus Princeps, an vivida Oratio?
*Nam elimatior Panegyris geminum munus arripit;*
*Ut laudi Principum laudem invitæ etiã permisceat modestiæ Oratoris,*
*Eadẽq; lingua & encomiũ alteri pangat, & sibi in plausu præmiũ.*
Sed vixerit sanè IOANNES CASIMIRVS;
Non pulchriùs illuxit in solio,
Quàm dum in tumulo Te nactus laudatorem.
Nec plausus mortuali eloquentiæ potior optetur,
**Sat vocale præconium est, Rex laudator:**
Quamvis nec Regni Procerum plausus defuit,
Tuq; unius CASIMIRI laudator fuisti,
Omnes Tui,
Dum etiam illud Principum solijs ediceres:
*Vel summis ruendum esse:*
*Esse item in uno Principe,*
*Quod post fata etiam vivat, & pupillam luctu obruat.*
Reposuit & amorem in se Principis parentalis Oratio,
Ac umbris mortualibus dicendo solem offudit.
Per laudes, datũq; olim à regali lingua Tuæ virtuti testimoniũ,
Profecisti ad Regum Panegyres, (cedens
Cùm IOANNES CASIMIRVS nondũ è vivis iam è regno de-
Tuum encomiasten ageret,

 Toties

Toties ille hostium, postremò sui victor & fortunæ;
De illa pariter ac de fastu Imperiorum triũphare decreverat,
Exemploq; Principes docere,
*Esse in regnis tandem, quod contemnatur:*
Obstiteras unus, nec quisquam fortius non tam virtutis insolentiam dissuasit,
Quàm Regni orbitatẽ, & illapsura viduatis sceptris incõmoda.
Nam in ea regalis modestiæ umbra lucem oculo intenderat
Lynceus ille Tuus in publica obtutus.
Placuit Principi amor hic publicæ rei, ac Majestatis,
## Et elogio suadam coronavit:
*Sufficere sibi id regni spatium dictitans,*
*Quòd nondum amicos subduxerat:*
*Non illibenter se regnis evolvi,*
*Quibus pares adhuc humeros tam gravis laudator testaretur.*
*Perinde est, ac si non absceederet imperio,*
*Dum par adhuc imperio celebratur.*
Abiit tandem è solio, & brevi æternitatem iniit,
Quam actis promeritus,
Etiam in vectigalem Tuum calamum, & dignæ Regibus eloquentiæ laudem transfudit.

# V.
# VATICINIVM MATHIÆ LVBIENSKI PRIMATIS REGNI
## DE PRIMATV OLSZOVIANO.

AD præsagia me jam revoco, quæ non fallit exitus,
Augetur his fides, dum non è tripode sed cælitus fundantur;
Nec ab Haruspicum sensu, sed à sacrorum Antistite.
Ab extis auspicia ad macellum relego,
Cæli ostenta ad Astrologos,
Qui si linguã siderũ callent, sæpius veritatis idioma ignorant.
Melior Tibi vates in sacra Poloniæ purpura contigit, Illustrme:
Quem Gnesna primiq; in sacris fasces coluêre,
Et fuit oraculo fides, etsi sæpius in omen assurgitur,
Et

Et omina hæc vota ſunt, non præſagia:
*Apprecari abundè licet, ſed experiri optata rarò conceditur;*
*Nam eventus non à votis ac indole pendet,*
*Sed à Cauſarum ſerie,*
*Quam impedire Mens illa poteſt, quæ præſagiis intercedit;*
*Meliùs tamen, dum ominibus non obſtat indoles,*
*Et utrumq; vaticiniis fidem obligat.*
Nam temperamenti dos quædam eſt, illuc vergere, quò ſpem meritò inclines.
*Porrò illuſtrium id mentium, de ſe præſagijs locum dare.*
Ipſa futurorum effigies in vultu & actis grandibus legitur,
*Adeòq; primordia geſtorum, lineamenta ſunt futuræ magnitudinis.*
*Primæ veluti faces præeunt,*
Antequā fortunatior dies illuceſcat, & quidā fortunæ meridies.
Nec in Te latuêre,
Quin Te in ominum meta defigerent.
In Argum incurreras, dum MATHIÆ LVBIENIO adſtitiſti.
Lyncei hæc obtutûs anima, quò non penitiùs penetraret?
Etiam fatorum abdita & futurorum occulta irrupit, dum Te cerneret.
Amavit indolem,
Cui veluti fulcro innixa ſacri Principis ſenecta,
Scipionem non requiſiit, quo ætatem fulciret.
Satis illi virium, dum Tu in partem curarum laborũq; venires:
Satis gloriæ, dum fatiſcenti ſenio inſignem operam præſtares;
Seu Eccleſiarum negotia cum illo,
Seu Curiæ Regniq; partireris,
Vtrobiq; Principis munus vel obiens, vel adornans.
Elicuit lacrymas amor, quem obſequio excitâras:
Omen aperuit linguam, quod merueras.
Vniejoviæ fidem appello,
Vbi ſacratiore entheo pectus Principis implevisti.
Dicerem ibi Delphos fuiſſe,
Niſi Veritatē puderet, cum tanto Antiſtite Apollinē conferre,
Aula amplior Oraculi locus fuit,
Vbi Archipræſulum viva in coloribus ſimulacra,
Non tam Apelles, quàm merita depinxêre.
Cuiq; ſua inſignia, & quæ virtus extorquet, adjecta encomia.

Sed nondum penicillus adumbrârat,
Quos nondum ætas viderat noveratq; in ea Purpura?
Satis illi fuerat colorem ducere per superstites,
Reliquos picturæ non commiserat,
Quos obscura eventuum notitiæ subduxerant.
Quid hic LVBIENIVS?
*Aliis hîc etiam, inquit, pingendis locus superest,*
*Et Te, ANDREA OLSZOVI, quintum nomino ac prædico:*
*Ita mihi sacer quidam præsagienti animo illapsus, (merita.*
*Ita Tua, quæ iam ordiris, & ad tantum culmen perduces, spondent*
*Aliis præire fata imperant,*
*Ne Tibi crescendi copiam summus repentè apex auferat.*
*Et pulchriùs est alios præmittere, quibus tantò succedas gloriosiùs,*
*Quòd omnium decora in Te uno colliges,*
*Et summorum Præsulum dabis pulchrum epitomen.*
Vaticinium excepit fides,
Sed antè in auditoribus tacita fatorum veneratio,
Tibiq; tunc primam induxit purpuram rubor:
*Nam hæc tinctura modestiæ est,*
*Cùm ad suas laudes & digna meritis omina erubescit.*
Quintus ergo Tu à Lubienio hujus Insulæ hæres,
Nam duo Leszczynij successêre innutrita honoribus nomina:
Presserè vestigia soleæ Prazmovij avitæ, & Eques mitratus Czartoryiscij?
Tu his quatuor par meritis Princeps jam succedis.
Et juvit tanta hujus Cathedræ felicitate augurio prænovisse,
Quod loci gloriæ interesset,
Digna etiam vaticinij laude nomina huic muneri cooptare.
Tu ut fidem præsagiorum imples,
Ita Nominis tanti mensuram, omnium sæculorum plausu adimplebis.

# VI.
# HONORES PRÆVII
## ANTE PROCANCELLARII MVNVS, NEMPE REFERENDARII REGNI, ALIIQVE in Celsissimo Principe celebrantur.

PRimum fortunæ tirocinium juvat recognoscere,
Quod

Quod ſæpe indicat, quantis muneribus virtus adoleſcat,
*Vt ortus præſagium quandoq; injicit de inſequente diei ſereno.*
*Maturiùs ſe magna ingerunt præcelſæ indoli,*
*Vt neq; per exigua in gloriæ metas itur.*
Mitto quis Te in Lubienij Primatis aula extulerit honor.
Cùm ibi Antiſtiti nunc Cracovienſi ANDREÆ TRZEBICIO ſuccederes,
Oloribus id albo calculo munus inſcribente fortunâ,
quod magnis ſemper inſcripſit.
Mitto, ut aulam Korycinij, Leſzczynij Cancellarij ornâris munere, quod Te adornârat.
Cùm in ſignatura illius aulæ manum per ſumma duceres,
Cancellariæ illius Moderator ac Regens.
Nam hæc etſi maxima pleriſq;, quorum fortuna neſcit capere incrementum,
Tamen ſub tua fortuna faſtigium amiſerunt.
Equidem Tu, PRIME PRINCEPS,
In Majorum ſtadia honorum maturiùs paſſum intuliſti,
Per maximos iturus in conſcientiam poſterorum.
Primus Tibi in Curia honos, qui pleriſq; ſupremus.
Obtulit hunc legum notitia & æquitatis amor.
Rara hæc, & extra munus etiam publicum, laudem ferunt,
Intrà feliciùs cauſas profligant.
Partium controverſias referre, Tibi munus indiderat;
Iiſdem dirimendis injicere lucem, mentis ſolertia dedit.
Aram in Te ſupplex habuit
Satiſq; momenti pupillo, Tua Cauſæ notitia:
Penetravit ad Regiam feliciter, ſi aurem Tibi pulsâſſet;
Nã Tu poſtulatis æquiorib⁹ momentũ ab auctoritate adjeciſti
Nec ulla querimonia Tibi aurem implevit, quam patrocinio non ſopires.
*Plurimùm refert, quis ad Principem referat vota ſupplicum.*
*Aufert cauſæ ſolatia, frigida delatio,*
*Et mora judicii eventa corrumpit:*
Idem ſupplici, quod naufrago contingit,
*Cui objecta citò tabula plus proficit, quam ſerò navis.*
Gemuit quidem ſub Delatoribus Roma,
Et pudet Tacitum per ea nomina diu calamum ducere;

Sed ſub Tiberio & Nerone an aliter aula ſaperet,
Quibus cædes civium purpuram imbuerant,
Et præmium deferenti fuit patrimonium delati?
Aliud tamen nomen eſt, quod geſſiſti, nec illa Romæ odia accerſit,
Cui nec vocem prolicerct odii tabes, nec premerent aucupia gratiarum.
Nullius diſcrimen niſi cauſarum nôſſe,
In reo nec fortunam vereri nec revereri, illius muneris eſt,
Quod primum Tibi gradum ſtruxerat in ſuprema.
Nam mox iviſti per ardua,
Alterq; ſolennis ad maxima gradus tibi fuit,
MAGNVM fuiſſe.
Molem hanc nominis Tibi diſcrimen à minoribus dedit,
Aliis eminus tantùm patet Majeſtas,
Te ſolio propiùs admovit:
At proximus per aurem in cor aditus,
Quod per arcana Tibi patuit Regiæ mentis conſcio.
Aliis vix atrium, Tibi mens Principis in aperto.
Intimis hæc tantùm ſe detegit,
Et amicitiæ regalis pignus eſt, in ſecreti cōſcientiam admitti.
*Regum quidem acta latebram neſciunt,*
*Et omne facinus ſole imbuunt;*
*Sed à ſole hoc conſiliis umbra prætenditur,*
*Ne, ſi in ſole ſint, lucem amittant.*
*Lucent enim plerumquè, dum latent,*
*Et nox illa prodit, extinguit dies.*
Te tamen nc conſilia Principis Procerūq; laterent,
Et munus, & (quæ in Te vixit) arcani Anima Fides, fecit,
Fidem enim obſtringit hæc ſcientia,
Nec linguæ aut calamo committitur, ſed animo.
*Sapit, qui arcanis huiuſmodi nubem non detrahit;*
*Alioquin ſeipſum è conclavi Principum proſcribit proditor calamus.*
Sed quæ fidem tuam viſa depoſcere, parem experta;
Proinde etſi lucem refugerent, Tibi inclaruere,
Fama tamen ſecretum neſciit,
Quæ evulgare Te cæpit, etiam cùm taceres,
Docuitq; legitima taciturnitate vocaliùs famam propagari
Fidemq; ſecreti plus præſtare ſilentio, quàm linguas eloquio.

# VII.
# PROCANCELLARII REGNI
## MVNVS AC INSIGNE ILLI DEFERTVR
# A IOANNE CASIMIRO REGE

**Iam Te in Purpura colat calamus,**
Quãcũ Regni Annulo accepisti, PRINCEPS ILLVSTRISSIME
Pudeat Regna si tales ostro non induant.
**Meruit Patritium Muricem,**
Cujus toga etiam plus gessit, quàm quorundam Purpura.
Et facilè Principis animum inclinâsti,
In quem merita blandiùs visa agere;
*Etsi violentum sit meritorum calcar,*
*Nisi livor vel malignitas sensum adimat.*
Annulus hic in meta iis, qui hastiludium exercent fortunæ.
Sed tamen exerrant sæpiùs in spei ludibrium,
Nec annulum illis hasta vel spes induit;
Nec, si induat,
Aliud quidquã in nonnullis est insignius præter Regni insigne.
Ætas tamen hæc in iis Te reponit, qui ita illud gerere conati, ne gemmam frangerent,
Dum ita ceris hanc apprimerent, ut nõ opprimerent libertatẽ;
Illo potissimùm insignes,
Quòd nulli gemuerint sub eorum signatura.
In hoc signo etiam Tibi promptum vincere famã cõplurium.
Libertatis jura in integro,
Pupillorum causæ à Te solatia exprefsêre.
Duorum Principum arbitrio id muneris gessisti,
**Non ambiguus de orbis judicio,**
**Dum bis Regio probareris,**
Ad id muneris evocatus,
Etiam cùm inquieta consilia aversanti Ludovicã aula opponeret.
Hunc quidem magistratum Tibi defugere certũ promptumq;
Sed non æquè facilè fuit evadere,

Vbi ministerium ſtatûs parem Te reperit,
Nec minuit magnitudinem Tuam Annulus alibi major,
Quòd illius uſum valetudo impediret;
Ita providentibus fatis,
Ne eâ tempeſtate res patria periclitaretur,
Etſi uni incumberet,
Quod geminos aliàs lacertos exigit, inſigne,
Vnus illud tanto tempore è Magnorum uſu & æqui boniq; legibus tractâſti,
Quod ſatis geminas Signatorum vires exercuit ſemper;
Et timuiſſe liceret,
Niſi Tibi id oneris incubuiſſet.
Non Tu jus unquam (quod Roma vetus dederat) permitti ſceleri conceſſiſti,
Quin obſiſteres, unicè præcavens,
Ne fortunata flagitia ſigilli gloriam temerarent,
Si, quæ ampliſſimis civibus per nefas adimerentur fortunæ,
Piaculis addicere ſignaturæ opprobrio urgereris.
Promptiùs Tibi odia virtutis aliena,
Quàm amorem ſceleris incurrere:
Vbiq; Tibi par libero animus,

## Nec potior apud furorem gratia,
## Quàm apud bonam mentem.

*Etſi aliquando vocem metus ſtrangulat ac intercipit*
*Et par facinus ſuadeat ſceleris auctoritas;*
At non Tibi libertatem loquendi arguendiq; obtundere viſa malignitas,
Nec offenſio pro æquitate cauſæ req; publica toties ſuſcepta aliud Tibi,
Quàm virtutis præmium comeſque.
Octennium Te is Magiſtratus detinuit,
Nec pænituit moræ, quam tot meritis implevisti:
Illo inſuper felicior,
Quòd aliis invidiæ obnoxium munus ita geſſeris,
Vt vocis libertatem, quæ juſta Tibi inerat, nulla palàm odia plecterent.
Alias prodigium id linguas in hoc foro tenuiſſe;
Vel ſi graviùs inſtes muneri,

Non

Non exprimere vocem aut vindictâ etiam quandoq; minacē, aut querimoniâ acerbam.
Orator Principis ac Internuntius ad Rempublicam quoties diceres,
Nil non Principe dignum profudisti.
Oraculis dempsisti reverentiam,
Quoties Tuis Curiam implevisses.
Nihil intererat, an præmeditatò diceres;
Idem Te torrens aureus & beata sermonis copia circumfudit
Subitaria promentem, ac morâ admirandum.
Nec extemporalis Oratio sine gloria,
Nec meditatior sine ordinum ac ætatum assensu.
Tranquillitatis domesticæ Arbitrum qui velit, talem requirat.
Neq; Princeps ore suo dignius loqui poterat, quàm Tuo,
Cui tantum Majestatis in lingua,
quantum in animo mentis optimæ.
Nam Munus id postulat mentem per publica circumactam,
Et alium quendam in animo Senatum,
Ne precariò tantùm consulat in commune.
Ejusdem est Spartam animo, ac Lycurgum gerere per legum notitiam.
Deniq; auget gloriam perficitq; Annuli Augustalis
Mens in consilia præsens, in arduo sagax,
In ancipiti fluctuandi nescia, pernix rerum comprehensio,
Et prompta id, quod animo comprehenderis, vel promere Principis arbitria jussêre.
In publicum depromendi felicitas.
Et talem Te hic honos reperit
Atq; ante usum formaverat natum in maxima ingenium.
*Nam serò proficit,*
*Cui primum eventa animum polivere & usus muneri format.*

# VIII.
# EPISCOPUS CULMENSIS
## A IOANNE CASIMIRO REGE CREATUR.

AD Aras jam accede inauguratò, calamc; ut à profanis secernatur laudatio:

Inde etiam ſacrabis panegyrim,
Vbi animi & capita conſecrantur. (paginam,
Sterile argumentū ſit, ſi ſola Tibi Curiæ Majeſtas impleat
Nec extra Annulum gemma, quæ animum ornet, ſuperſit.
At illuſtre laudationis genus eſt, quod ab Aræ ignibus in mentem refunditur.
Nôrunt & Aræ Purpuratos colere:
Pridem color hic reverentiam illis indixit & in Martyre, & in Antiſtite:
Niſi quod illum cruor conſecrat, hunc dignitatis fulgor.
Te Culmenſis Ara primò accepit Præſulem, ô PRINCEPS
Nomen illi in faſtigium crevit culmenqué;
Quo exemit orbi cogitandi audaciam,
Ceu humilis eſſet hic fortunæ paſſus,

**Cùm gradus Tibi eſſet per culmina.**

Nil humile ſuſpicari licet,
Vnde unico greſſu ad ſupremum pertingitur.
Sed antè regni Annulo innexuit Annulum,
Quo Sacri connubii fœdera cū Culmenſi Eccleſia ſancirētur,
Vbi Ara dat in fidei pignus arrhabonem.
*Nec divinior ab Infula, vel illuſtrior Tu ab utroq; Annulo,*
*Quàm à Te ipſo, ſatis conſcio,*
*Quòd ad Sacrorum nitorem facit non tam aurea ſupellex*
Quàm aureus Sacerdos:
Nec tam byſſus Pontificia, quàm inhærens animo candor.
Malè inibi lucernis in umbra agitur,
Vbi tenebras fundit, quæ mentem afflavit, & nomen inūbrat,
Impreſſa geſtis obſcuritas.
Sed à Te procul umbrarum conſortia,
Quem in luce repoſuit nativa & inducta actis claritas.
Nil in Myſtarum Principe uſquam radiat,
Quod in Te fulgorem non geminet ac intendat;
Ardet utrumq;, & Aræ victimis, & Tibi pectus flammis.
Argi oculos ſuperat in Te vigilantia, quam ovili ſacro exhibes:
Sacrorum Majeſtas à Te deſumpſit faſtigium.
Talem requiſiit ora illa,
Quæ Hydram adhuc tot capitum feracem,
Sed unius capitis, quod Roma & orbis colit, impatientē gerit.

Eximuit

Extimuit proinde ſua fata hæreſis
Ab avitis Tuis Falcibus ſubverita excidium;
Nec adhuc metum ponit ceu illo ſat perfuncta;
Non inſcia, ut Gneſnenſi ADALBERTO vetus Pruſſiæ ſuperſtitio ſuccubuerit,
Quam ille ſatis etiam profligavit.
In argumentum victoriæ, pro ſpoliis remo contentus,
Quo navigaret ad Inſulas Beatorum.
Nec minus Culmenſem Cathedram obſtrinxiſti,
Dum illi & gloriæ cenſum reparas & fortunæ.

**Gloriam Teipſo auges, fortunã conſilio.**

Egregium id, PRINCEPS;
Nam ſic cum fænore redit, quidquid cælo acquiritur.
Nec VERBI ærarium deterius eſſe decet,
Quàm ſplendor Sacrorum requirat.
Tu certè dum hanc Infulam ornas, Maximam induiſti.
Patuitqué in hoc culmine Tui meriti magnitudo.

# IX.
# VIRTVTES SENATORIÆ
## IN ILLVSTRISSIMO PRIMATE REGNI.

QVisquis purpuram oſtentas, publicæ rei momenta animo expende.
Princeps imperio cöérceat omnia, Tu conſilio.
Non egeat tripode Patria nec Delphos naviget,
Si Tu in comitio linguam relaxas.
Adeòq; Senatoris nomen quacunq; ætate non ſit vacuũ ſenii,
Quod velut longâ ætate, prudentiæ arcana colligat.
Aliqui laticlavium gerunt, ſed laticlavio nomen deterunt,
Qui perſpicaciam mentis non latiùs exporrigunt,
Quam ad extimam rerum ſuperficiem,
Nihil rimantur in abdito, ſed ſiſtunt in cortice.
Nec alia purpuræ probra horrent;
Quaſi hæc etiam non devolvat onus in humeros, quos operit.

**Sol in Te ruit,**

QUISQUIS PUBLICUS ES IN SOLE CIVIS;
Vbiq; conſpicuus, ſeu lucẽ ſeu umbram ſparſeris in cõmune:
Sane Polonia Romam in ſe veterem tranſtulit cum Senatu;
Nec, quam ibi Cyneas agnovit Senatûs Majeſtatem,
Minor in Sarmatico relucet:
Etiam hic Senatus, Regum quidam conſeſſus eſt,
Non tantùm ſi Purpuram ſpectes,
Sed dignas Senatu ſolioq; dotes, quæ animum pervasêre.
Si tamen Procerum Lycurgus eſſe quis velit;
Primam ab iis dotem requireret,
Publici Boni ſtudium:
*Nam privatæ res ſemper offecêre, ſi in animum penetrârunt.*
Sibi etiam dictum Senator putet, quod Olor Stiliconis cecinit:
-- *Nec tua te moveant, ſed publica damna.*
Nondum Spartam deſero, & alteram conſiliis legẽ præfinio:
Conſilia ſint, qualia vix ab homine ſperes, ſed à Diis requiras.
Id verò ut poſſis, in prudentiæ lance illa delibra:
## Fluctuant, ubi ratio
## Rem non decernit, ſed affectio.
*Privati amoris odiiq; cauſæ, turbamenta ſunt conſilii,*
Vti & ſpes privatæ metuſq; Senatûs conſultis nomen adimit.
Prima item libertatis notio ſit, libertas ſentiendi.
*Male, ubi vocem eripit, qui animum corripuit, timor;*
*Vel dum, quæ favorem colligat, blanditur aſſentatio,*
*Nec vulnera ſanat, ſed blandè perimens attrectat.*
Majeſtatem item regni & Principis fulciat laticlavia poteſtas,
Dum ſolerter quà voce, quà manu proſpicit,
Quibus illa integra in immenſum attolli queat.
Sed inſuper in Sarmatia Procerum conſeſſus etiam Patrum
Purpuratorum conſeſſus eſt.
Nec tantùm focis providet, ſed Aris,
Patremq; curarum transfert in diviniores humeros,
Adeoq; cælum in conſilia admittitur;
Ideò Religioni bene conſultum velle, etiam potiſſima Senatûs
cura & virtus eſto.
## Sed Tu, Princeps Senatûs Sarmatici
Longè

Longè plura exhibes, quàm hæc requirat Purpura.
Tertia jam Te adornat,
Et Tu à primis sūmisq; purpurati muneris dotib⁹ nō deflectis.
Saniora propinas, quàm Delphi dederint:
Non minùs solida, quàm vetus recensq; Romæ Curia.
Ex quo Procerum subsellia insedisti,
Auges in hac fortuna solii Majestatem,
Basimque ruituræ aliàs Patriæ subdis à consilio.
Robur est & perennitatis præsagium,
Vbi hæ ruinas impediunt Columnæ.
Et diutiùs quidem menti Principis arbiter ac internuntius es adhibitus.

**Nec tā Senator, quàm Rex in Curia perorâsti;**

Sed tamen etiam cùm de Tuo adyto promeres arbitria,
In stuporem, Curiam dicendo rapuisti.
Procul item à Te partium studia,
*Et venenum publici consilii privata affectio vel metus.*
Demum in epitomen immensa de Te referam, si dixero:
Inter Regni Proceres is fuisti,
Vt Maximus tandem esse merueris.

# X.

# PONTIFICIÆ VIRTVTES

## IN ILLVSTRISSIMO PRINCIPE.

S*Va quemque nomina ut distinguunt, sic decora discernunt.*

**Alio profana radio egent; alio sana:**

**Aræ alio, quàm minores tiaræ.**

*Interest, quem referas:*
*Nam inde inceptu indecorum, quod horreas;*
*Inde pulchrum aditu, quod tentes, colligitur.*
Nemo in Ajace requirat modestia, vel in Paride speret pudorē.
A Romulo animos, à Numa sanctitatem fasti exigunt.
At quò Divinitati quis propior, eò divinior sit & ipse.
*Aræ non tantùm victimas coronant, sed & Flaminem.*
*Suaviùs hæ thure fragrant,*

*Cùm illas odoratior Sacerdotii fama imbuit.*

## Præposterum decus est, dū byssus candet
in dorso,

## Non item candor albet in animo.

Infulæ premant verticem velut Atlantem cælum,
Vt non illustrior sit contextu siderum huic incūbens sphæra,
Quàm virtutum gemmis compactum Præsulis diadema.
Ipse biceps pileus monet,
Quòd una virtus non satis hoc caput coronet,
Nisi divinas humanasq; in compendium redactas gerat.
Scipionem manibus gerit, quo fulciat ruitura:
Sed & ipse Scipio sit, qui non Africam suo nomini inducat,
Cùm delet pervicaciam & monstra edomat.
*Nempe Præsulis est Carthaginem evertere Romæ adversantem.*
Ferienda ibi monstra,
Nisi unam cervicem gerant, quā uni Capiti Romano subdant.
Eat item in cultum Numinis,
Et in animorum culturam se pars Pontificiæ curæ impendat.
Quod si & divinior Caula & Aula hujus Pastoris est;
Ita fulgeat, ut sacram esse purpuram declaret.
Cælitus sese tantisper demitti cogitet, dum Curiam insidet,
Vbi digna Cælite Consiliario depromat.
Deniq; prima illi cum Divis commercia, secunda cum mortalium curis.
Humana negotia sic partiatur, ut Divinis anteponat.

## Aliorum Procerum sententia sit, ut Regū,
## Præsulum sit, ut Deorum.

Equidem, quod ad Te attinet, ô PRINCEPS,

## Præsulum Gemma est,

Nec virtutem in Antistite quis requirat,
Quam in Te usque ad prodigium non colat.
Gaudent te tana Antistite;
Sacrum ovile vigilantissimo Præside:
Sacra, ubi Tu Summus Sacrorum arbiter præsides, nitore.
Regum affixus lateri cor Divinum occupas,
Cujus cultui studio teneriore inhæsisti, Orco

Orco metuendus & hæresi
Quæ Tuas etiam avitas Cruces adorat,
Etsi Divinam sacrilego nisu proculcet, (lescit.
Sensimq; Saxonis fanatici proles in cæli Romæq; studia emol-
Rursum habuit Prussia ADALBERTVM,
Et mitior post lanceas in Archipræsule defixas
Ipsa in Numinis Tuiq; cultum edocta
Trophæum tibi de hæresi defigere parat immortale.
Ita innectis Tu cælum Patriæ curis,
Vt nec à Senatore Præsulem,
Nec à Præsule Augustini vel Ambrosii gloriam sejungas.
Alibi vacant sæpius aræ,
Nec tam Antistitem habent, quàm hospitem,
Quòd illas per intervalla tantùm adeat,
Quasi sacrorum reverentiam intendat pietatis remissio,
Et meliùs caleant altaria victimis,
Cùm diutiùs animi tepuêre;
Ideò quibusdam extra festū dies sacrificio nefastus.
Sed Tibi morem pietas indixit,
Ne sacrificio diem, religioni animum subducat tepor.
Ad aram crebriùs operari, inter Præsulū laudes exēplo ducis.
At assistere sic, Angelicum: sic vesci, plùs quam regium est.
Non quidvis Tibi palatum animumq; implet.
Totâ potiùs Divinitate placet ali.
Cibus hic grandium est; & Pastorem hic Agnus, hæc victima decet ac indicat Sacerdotem.
Age Princeps & Præsulum apex; ac virtutem, quam in auge pridem collocas, promove in immensum.

# XI.
# ACTA SINGVLARIA
## TVM IN EPISCOPATV CVLMENSI, TVM ANTE.

SAcra admonent, ut illa memor officii character accuratiùs persequatur
Lucij Veri monito cavetur: - Nil obiter;
Vbiq; id: sed Divina graviùs urgent.
*Quò divinius opus, eò remissiorem manum refugit.*

 Cothur-

*Cothurnum exigunt, quæ cælos meruêre :*
*In sole meruit reponi, quod cælo inscribitur.*
Et verò damnamus calamum, qui inter grandia nil discriminis internoscit.
## Non amant desultorium stylum ardua,
*Vel qui transilit, quibus lentior mora pretium paret optetqué.*
Et talia sunt, quæ Pontifex egisti.
Erexit Te Præsule caput Romana religio,
Nec aliam faciem Prussiæ cæpisti inducere,
Quàm quæ orthodoxo sæculo posceretur. (accepit :
Reducta sacris veneratio, & altarium squallor nitorem à Te
Ne in umbris hærerent animi, sol plerisq; illuxeras :
Profligasti tenebras exortu,
Inveteratis erroribus senium abstulisti, cùm illos prisca veritas præfocaret.
## Tot orci propylæa fuerant,
## Quæ Tu pietatis delubra effecisti,
Hæredem illuc reduces Deum, quò violentus error irruperat;
## Vbi viruit Cãpus, assurgit sacer Colossus!
Deserta Divorum atria cæli harmonia sonuêre,
Et audita Cælituum coli Nomina,
Quæ proscripserat è fastis pietatis lymphata pertinacia.
Nec sectariorum error latebris ullis tutus;
Protulisti in lucem, quam refugit,
Cui satis supplicii est patuisse :
Satis insuper hic plectitur, dum passim tollitur,
*Vt nec vitii potior pœna est, quàm cùm displicuit.*
Nam Alemannam luem horruère passim animi,
Cùm redirent ad bonam frugem, & cum Capite Romano reciperent rationem.
Desipit enim quisquis ab hoc Capite non animatur, regiturvé.
Fovisti pietatem donariis, nec resipuisse pænituit
Cùm resipiscentes toto cælo DEVS; Tu eosdem aurea manu exciperes,
Thesaurosq; illis crederes, quorum jam fidem compereras.
Erat cum primi etiam in errore Duces,
Cùm errantium antesignani signa erratica convolverent;
Factû-

Factumq; ut ibi diu exul, jam per Te incola DEVS fieret.
Sub Pontificiæ virtutis magisterio
Didicit prima justitiæ elementa hæresis,
Reddere coacta, quæ rapuerat; restituere quæ invaserat.
Nec cælo proscriptæ favit temporis præscriptio,
Vbi nempe aberat bona fides.
Te verò ægrè habuit diutiùs inde arceri DEVM,
Vbi Calvinus haram posuerat,
Ad Aras Torunenses Divi Iacobi defixus.
Nunquam ibi veriores epulas, præter umbratilem cænam licuit degustare.
Vbi perenne planè animorum jejunium,
Quòd perpetua, à vera CHRISTI Carne, abstinentia.
Et verè ibi Cæna, ubi pridem noctescere cæpit,
Donec sub Te aurora felicior Basilicæ illi oriretur.
Habet Tibi gratias cælum & Apostolus
Cujus Ædem à rapina vindicas.
Opposuerat se contumax impietas; sed erat qui frangeret cõtumaciam,
Dum Hydræ capita Falces OLSZOVIANÆ mesuêre.
Diu quidem laborandum fuerat, ut vinceres;
Sed constantiam mora non infregit.
Tamdiu Tibi certum oppugnare pervicacia, dum concideret.
Spes aliorum nutaverant; Tu erexisti.
Vt constaret esse fiduciæ locum, si accederes fidejussor.
Latiùs ergo nunc regnat inibi Numen,
Cui vel plateæ foriq; usum negaverat subreptitia fides;
Exturbare etiam è foro ausa DEVM,
Nisi delubris se arctiùs contineret.
Sed pompam triumphalem primus Domino concessisti,
Dum sacratiore ritu foro induceres sacrum Ferculum.
Hoc erat triumphum canere de orci asseclis!
Vtraque ergo Civitas foro excepit DEUM,
Ne is nõ illac incederet, quà vel bruto licet
Et usus jam firmavit fori pietatem,
Quæ ut originem ad Te referet, sic perennitatem;

Tu enim primus privilegiũ fori Christo conciliâsti.
Quot item alibi reconciliatæ Superis aræ!
Quot per Te cõmissa Romanis Flaminib⁹ Divorũ delubra!
Calere victimis divinioribꝰ altaria cępêre
Quæ ad cænam Calvini intepuerant;
Imò & ignis aberat,
Vbi nulla Charitas; sola emortua fides fumigabat.
Quòd ergo hîc cælo reconciliata pleraqué;
Tu extitisti Pacis Princeps.

# XII.

# CELSISSIMI PRINCIPIS
## IN DIVOS CÆLITES RELIGIO, POTISSIMVM IN
# B. STANISLAVM KOSTKA.

Cujus nomine Ecclesiam à se restauratam dedicat Kijoviæ rure in Prussia sic dicto.

E*ffusio animi in Divina, amori in Divos fæderatur.*
*Ex illa hujus mensuram licet sumere,*
*Ita ut tantùm hæc flamma ardeat,*
*Quantus ad illam fomes.*
Vtrumq; in Te amplectitur cælum, suspicit Clerus.
Divina Tibi animum occuparunt, Divorumq; cultus.
Testis & Prussia,
Vbi novos Indigeti Polono Kostcæ honores libuit instaurare.
Pridem didicit Culma hanc stirpem colere,
Cùm in tiara Pontificia Petrum Kostkam coleret;
Sed sub Te profecit veneratio,
Vt Kostcæ Nomen, grandior cultus exciperet.
Iurata hæc ætas in Stanislai cultum.
A CLEMENTIS X ingenio tenerè emollescit in Pusionem Angelicum:
A CLE-

A CLEMENTE jam vel Audacis ingenium mitesceret,
Qui STANISLAI nomen olim persecutus in Craci Præsule.
Sed gratiam apud IOANNEM III. reperit idem nomen,
Quod illi victoriæ tessera est.

**Fluunt triūphi, ubi Kostcæ nomē insonuit**

Ei totam belli Orientalis molem cōmisit Princeps,
Nec vult vincere, nisi Commilitone Divo,
Qui post Chocimensem lauream novas parat,
Alibi hostem ferro debilitans, alibi urbes deditione pacans.
Sed non minor in Beatum Regni Indigetem tua religio,
ARCHIPRÆSVL ILLVSTRISSIME.
In delitium DEO transiit, in cultum Tibi.

**Et odisse nefas id nomen, quod cæli amāt.**

Facilè de aliis, qui de Numine etiam triumphat Amor Kostcæ.
Admovit & Tuo pectori triumphales flammas,
Et ubi animum adussit,
Trophæa Victori erigenda persuasit.
Gessit trophæi vicem illius nomine initiata templi moles,
Cui oblivionem tanti nominis vetuisti.
Turbo aderat, qui disturbare destinatam in Divum religionē eo die posset?
*Sed ridet Æolum, & turbines profligat Pietas.*
*Perinde est illi Favonii ac Boreæ flabra persentiscere.*
Primum ergo munus accepit à Te KOSTKA,
Quod à nemine, (assurrexit.

**Prima hæc stetit moles quæ illius Nomini**

Mirum profectò Olorum obsequium!
Alter Viennā prodromum se gessit STANISLAO
Cùm iter Romanum candido iniret omine,
Faustâ sanè alite ad Romanas volaturus Aquilas:
Alter Tuus Maternus Olor in cultum Tutelaris aliis prævolat,
Nec Romam ducit fugitivum, sed cælitus in terras deducit cælitum Concivem.
Sic Ales Candida beatæ Animæ Candorem deperit,
Nec aquis tantùm ( ut Olorum fert ingenium ) innatat,
Sed sub astra etiam studiis evolat.

Et ſcient hæ munus rependere tibi Manus;
Quæ cælitùs illatum ſuo conclavi geſsêre D E V M.
Divinum quid manibus his impreſſit dulcis Sarcina!
Affixiſti loco Beatum olim transfugam,
Vt dedoceres è Patria deinceps fugam,
Cui perennem debeat tutelam,
Nec illibenter adhærebit dapſili ad aras D E O,
In quem votis toties exarſerat in terris.
Te inſuper novis in dies gratiis proſequetur,
Donec Olorinũ candorẽ Tibi longa & felix inducat ſenecta.
Is quidem Tu in Divos; ſed nec vivos præterit Principis favor.
Pruſſiam hic pervagatus, nullibi Societatem IESV reperit,
*Quin ejus domicilijs argumenta beneficentiæ impreſſiſſet;*
Etiam id ingentium eſſe non inſcius, à Minimorum cætu haud animum abſtinere;
Veluti non ſatis ardere ab IGNATIO zelus queat,
Niſi hæc ignium fomenta illum alerent, (Pietas.
Et flammam latè ſpargere juberet propenſa Antiſtitis Supremi
Marieburgo Societatem intulit ſuperior ætas;
Sed aram vix habuit Socialis religio;
Tu in arce edita illam collocâſti;
Vbi fidei propugnacula firmarentur,
Et meliùs quàm in Tarpeia quondam arce figerentur opima ſpolia animorum.
Accepit ergo à Te Societas,
Quod ab Antiſtite in cælum effuſiſſimo par fuit accipere.
Nec in abdito poſuiſti beneficium,
Quod arcis ſupercilium orbi prodit,
Habetq; contra oblivia munimentum.
Sic etiam inde Tu maximis par, quòd datam à Te Regibus Panegyrim incurriſti:
CASIMIRVM enim inde extuleras,
Ceu Magni cognomentum meruerit, tum aliunde,
Tum quòd Societatem complecteretur.
Tranſiêre ſtudia Regis in Tuum Principis pectus, (ſit.
Et magnitudo pariter, quâ inde metiebaris, Tuo nomini cohæ-
*Nam par encomium eſt et magnitudo,*
*Vbi par Virtutis æmulatio.*

# XIII.
# LEGATIONES
## SPLENDIDE OBITÆ.

*HAbeat Regnum, quos extero ſoli ad lucis invidiam proponat.*
*Parum eſt, habere domi, quod meritò iactes,*
**Si non etiam foris calculum mereare.**
**Facilis domi cenſura eſt.**
**Acrius eſt extraneorum judicium,**
**Vbi non metus vel gratia obnoxiũ facit.**
*Tunc ſecurus es gloriæ, cùm illam tibi nil uſpiam labefactet,*
*Nec facilè reperit quod in te Momus orbis exagitet.*
**At Legatio externa tui regni cenſura eſt**
De te tribunal exercet extera cenſendi libertas,
Dum tuum excipit auditq; Oratorem.
**Tanti quandoq; Princeps, quanti Legatus:**
*Majeſtatem illi intendit hujus dignitas.*
Phoſphoro primæ notæ claritas ineſt, quia ſoli proximè anteit;
Major ineſſet, ſi ſolis nõ prænuntiũ, ſed vicariũ lumen gereret.
Sed Tibi tutiùs ſeſe commiſit Majeſtas,
ILLVSTRISSIME ARCHIPRÆSVL,
Et Cenſorium in obliqua munus ademit.
Extra aleam, Regni Regiuſq; honor,
Si Tuam illi operam obtuliſti.
Perſonam Principis ex majeſtate referre Tibi promptius,
Quàm aliis quandoq; Principem.
Regnandi agendiq; ſolertiùs artes, etiam extra ſceptri fortunam calluiſti.
Arbitria Principis, ab illo pondus, à Te eventum accepêre.
Et apparatu quidem ſplendido non ſemel exteros adiimus;
Sed ſufficit ſemel aurum calcâſſe,
Quod ad ſoleas equorum cum Oſſolinio damnavimus.
**Non tanti jam eſt ſplendor aureus, quem bruta calcant.**

Plus eſt in Legati dotibus, quàm in aureo apparatu:
Orator Principis mittitur, non regni opes proferuntur;
Et ſplendor tantùm comitantium juvat,
Vt ſolem ſidera;
Non ut Te fortunæ moneat, ſed, quam geris, Perſonæ:
Etſi Regum etiam ſolitudo plus majeſtatis habeat,
Quàm frequens aliorum celebritas,
Porro de ſucceſſu ambigere non licuit,
Quidquid Tibi muneris incubuiſſet.
Nec prima Tibi cum exterorum judiciis lucta:
**Pridem in hoc foro triumphas,**
Et tot judicum ſententias dignitate refutas.
Nam etiam extra Legationis gloriam,
Latè patritiam lucem fudiſti:
Dum non ſtagnans domi ingenium latè per orbē circumagis,
*Maximi ad inſtar ſideris,*
*Quod nullum Orbîs angulum radio ferit,*
*Quin ubiq; tenebris exitium afferat.*
**Nec enim unius loci anguſtias terit vera gloria,**
*Vt intra Carpatum ſe teneat, nec Alpes etiam tranſcendat, ac mundi ultima.*
*Vera laus arcto comprehendi nequit,*
*Sed eoſdem habet terminos, quos orbis ac æternitas.*
Primæ legationis theatrum Tibi ac terminus, Francofortum.
Septemviros Imperiales illuc collegerat auguſtalis electio;
Cùm Te arenæ illi committeret acre judicium CASIMIRI.
Non ſuam, non regni majeſtatē deterere poterat talis Orator.
Vertiſti omnium in Te animos, quorum aures ſandi divinitate, oculos comiſſima urbanitate tenuiſti.
*Facilè enim pectus irrumpit dexterrima dignitas actionis.*
Electoribus nondum pænè in ſuffragiis Leopoldus, jam in animo OLSZOVIVS:
Nomenq; id antè rapuit corda, quàm Princeps imperialē Coronam.
Ex Libertatis Regno prodiiſſe Legatū palàm fuerat, cū diceres:
*Injurias verbo vindicans cum expoſtulares:*
*Germaniæ delectum in Polonos, cùm Sueticus turbo Patriam concuſſit, incusâſti,*

Quaſi

*Quasi non melius esset vicinum agere quàm hostem;*
*Nec satis esset perire armis Sarmaticis Suecum,*
*Nisi & Germania sub illis cladem exciperet.*
*At non id fœderum religio suasit,*
*Quæ Monasteriensia locus vocat:*
Jus proinde vindictæ timeret injuria;
Quæ amicas etiam gentes in arma sæpiùs egit:
*Nec imperii provincias immunes olim à malo fore,*
*Si vindicare facinus delectûs libeat vel superstiti regno, vel nepotibus,*
*Quare coërcendum crimen, ne in mutuum vulnus erumpat:*
*Inhibenda à Suetico armorum Sacramento Germania,*
*Ne in se acuat ferrum, dum acuit suscitatq; justa odia.*
*Idem qui contra alium, etiam contra se quandoq; ferrum porrigit,*
*Et sæpè cadit telis victima cæsa suis.*
Egisti feliciter, & Poloniæ majestas multùm Te illic Legato valuit:
Non prōptius quidquā actum, quàm quod ab Electorum Col-(legio exegisti.
Placuit enim augusto Consessui Suecum etiam interpellare, & sancire cum Polono fœdera,
Cùm bellorum & cladium Gottiam tæderet.
*Ut ferme tunc pax cordi esse incipit,*
*Cùm malorum quæ armorum insolentia, ac diuturnitas belli trahit, pertæsum est.*

Sic prima cessit Legatio:

Successit mox altera ad Augustum occidentis Principem.
Ita Te formaverat natura, & auctæ tot annorum usu aulæq; contubernio dotes,
Vt summa Europæ capita haberent affatim, quod in Te suspi-(cerent.
Haberet Polonia, quod in Te exteris ostentaret.
*Actæ Cæsari per Te gratiæ pro milite, quē regno in Suecum infuderat:*
*Postulata gratia, ut eundem educeret:*
*Gratiam non fore, si morum traherent extra usum ferri,*
*Et bellandi necessitatem suppetiæ:*
*Non auxilia fore, sed amicæ hostilitatis speciem,*
*Si dum bello est inutilis miles, stipendium velit,*
*Et pro hoste, quem arcuit, ipse regnum exhauriat & expilet ærarium.*
*Sic exesse regno voluisti Cæsaris copias & effecisti.*

Superat fortassis alias augusta legatio,

Quam æquè splendide egisti, ac inieras jam tertiò.

K Da-

Datum idTuæ Celſitudini, ut Te potiſſimum vel ipſe expeteret Leopoldus ad ſacra connubialia ſancienda.
Nullum in Te urbanioris facundiæ cũ Politiæ arcanis diſſidiũ
Erat, quod obſtupeſceret Auſtria, dũ throni Sociũ depoſceres
MICHAELI,
Et Aquilis imperialibus Regales ſacro fœdere ſociares.
Inerat pondus verbis,
Quod Auguſtam Domum in noſtratis Regiæ nexus inclinavit,
Senſitq; vires facundia,
Quas in Viennæ imperiali auditorio protuliſti
Extincturus Cyneæ legati gratiam apud Pyrrhum,
Neſtoris apud Agamemnonem,
Si profana hæc nomina Tibi componi ſineret
Regalis Hymenæi Divinitas:
Deniq; Lunæ KORYBVTIÆ fulgores intendit Tua Legatio,
Cum Occidentis Principem Auguſtã in regnum deduxit.
Aliena quidẽ ſerenitas ſæpe ſudũ affert, & luce nimiâ extinguit;
Sed eclipſes ac deliquium hujuſmodi neſcit Regia,
Cujus aucta etiam ſerenitas (ceres,
Cùm Sereniſſimam tot Cæſarum Neptem regiæ noſtrati indu-
Felici Regum connubio Divinior Paranymphus.
Adeò jam tunc etiam Regno dare Principes incepiſti,
Tunc quidem Regnatricem,
Nunc etiã pro muneris excellẽtia Reges Poloniæ inauguratur⁹,
Quibus cum corona regimen ac regna imprimes.

# XIV.

## A MICHAELE I. REGE GEDANVM ET IN VRBES PRVSSIÆ MITTITVR, EASQVE IN FIDEM PRINCIPIS RECIPIT.

ADeò non ſemel Tibi Perſona Principis congruere viſa,
Quam toties honorariæ Miſſionis privilegio retuliſti.
In Curia ſemper, ſemel in Pruſſia, & antea extra Regnum.
Poſt Regum titulos vix quidquam ſic nomen ſerenat.
*Cui Perſona Regum committitur,*

*Solio*

*Solio tantùm minor est, ex commissione Princeps.*
*Nihil intra Regna augustius, quàm posse Regem induere.*
*Non enim se infimis insinuat Majestas,*
*Ne umbræ serenitatem temerent,*
*Sed si parem non reperit,*
*Dignum Majestatis Persona quærit.*

Occurristi unus,
Quem auctoritate Regiâ Princeps insigniret,
Tantum tibi confisus, quantum fideret sibi.
Nempe Regiâ Te mente imbuit Princeps indoles,
Nondum Prussiam imperio, jam retines potestate,
Ante inibi Rex alter, quàm Præsul.
Suffeceras ad omnnia MICHAELI,

Cui rectè omnia cessêre, quò solertiam promovisti.

Tali Nestore meliùs in fide urbes retinuisset Agamemnon.
*Magni interest, quo utaris ut animos fide adstringas.*
*Malaciam ingenii & oculatam mentem exigit hæc Sparta,*
*Et quæ plus videat in recessu, quàm in fronte,*
*Ac primis ultima, mediis utrumq; componat.*
*Argus sit, qui inter tam ardua incedit.*
Non cuiquam præsentius ad hæc ingenium, quàm Tibi,
Dum ad ultima Regni Principis nomine destinareris,
Vt, quò illius Majestas non pertingeret, obsequio necteretur.
Non exuerat fidem Pomerella,
Sed eam novis firmare indiciis par erat in Principem,
Eò quòd hæc fluctuare possit,
Nisi anchoram in mari fixeris.
*Nam infidum aliàs est maris ingeniũ, & sine anchoris navigia distrahit,*
*Aut fœdo naufragio funestat.*

Sũma quidẽ ad Balthidẽ semper malacia,
Nec inter procellas Aquilonis fluctuavit

Dantisci fides;
Sed tamen placuit fidei Sacramentum exigere,
Ac urbium integritatem significatâ Principis propensione honestare;
Ne vel sine præmio fides,

Vel ſine remedio labefactandæ pericula gliſcerent.
Et retulit à Te urbs præconium, Tu ab urbe & Fama:
Egiſti, quod egiſſe Perſonæ Principis intererat,
Tuta omnia ſectatus, anceps conſilii declinâſti;
Fulgur non auſus diſtringere, ubi ſudum
experireris.
Par veneratio Principis in Boruſſia
Vbiq; omnia inconcuſſa vel reperiſti, vel effeciſti;
Pacem ſolidans, ubi ſibi conſtaret;
Alibi præcavens, ne peſſum iret.
Fluxêre omnia ex Principis voto,
Patuitq́, quanti eſſet tantum, quantus es,
Pacis arbitrum delegiſſe!

# XV.
## EXPEDITIONEM
### IN TVRCAM SVADET,
### DVCIQVE SVPREMO BENE PRECATVR.

Et victoriis in Te plurimũ momenti fuit:
Chocimenſem lauream etiam Tibi debemus,
Ad quam arma victricia graviter impuliſti.
Aderant quæ belli molem excuterent;
Sed idem Tibi, qui victori Principi ſenſus fuit:
*Audendum: aſtra pro Polonis militare:*
*Satis virium eſſe, ſi ſatis ſit animi:*
*Non prima hæc bellandi vincendiq; rudimenta Polonis,*
*Pridem barbaros edoctis vincere:*
*Agi de fama, Divorumq́; fanis:*
*Abderent ferro ſuperioris anni dedecus,*
*Et vectigal, quod in auro hostis poſceret,*
*Impenderent ferro:*
*Sit hæc ſceleri merces, fatale ferrum cervicibus excepiſſe.*
*Adhuc, inquiebas, illud Cæſare, Teq; dignum:*
*Tranſivimus Rubiconem, iacta eſt alea:*
*Eò redigimur, ubi ferro tantùm victoriam mercari liceat:*
*Probrum regredi vetat,*

*Et ar-*

*Et armorum otium proscribit rerum temporumq; penuria.*
*Durum est necessitatis, quod imminet telum,*
*Sed illud summa momento conficit,*
*Si audeas, dum audere cogeris.*
*Aderit Numen præliantibus & justo prælio comes Victoria.*
Ivêre felices Copiæ
Et Ducem Supremum, nunc Supremum Principem secuta
Præsulis comprecatio,
In omen laureæ cessit.
Non enim placuit Tibi pax indecora cum barbaro,
*Cùm pace flagitiosâ honestius bellum videretur.*
*Malè fœdera ineuntur, quæ regna per nefas diminuunt;*
*Neq; extra probri est aleam,*
*Quod per dedecus usquam coaluit;*
Quasi probro etiam emendæ sint pacis induciæ,
Et diminutione imperii labes nominis.
Perculerat hic Tui animi sensus Orientis Tyrannum,
Cui securitas rapinæ placuit.
Incusabat is prudens effatum, velut datæ fidei dissonum;
Quasi fidem sancirent latrocinia,
Vel quasi de servitute unquam pacti fuerimus.
Sed noverit irritatos potius nos, quàm victos,
Cùm fortunæ cessimus scelerique.
Quare ringatur in Tua pacis infamis odia;
Hæc tantùm sperare potuit debuitq; violenta barbaries,
Sensit Te justiùs sic sensisse, quam ille repugnarit.

# XVI
# PIASTVM
## SEV ORIVNDVM IN PATRIA PRINCIPEM SVADET ELIGENDVM.

IDem tandē Patriæ insedit sensus, qui Tibi, Magne Princeps.
Facilè enim itur in sententiam bonæ Mentis.
Principe caruit thronus?
Viduatam Regni Majestatem placuit votis depellere.

Sed quò Suffragia raperentur, intererat.
Nam prout Principem legeris,
Ita in Patriam vel injurius, vel beneficus extitisti.
Electio quidem, Libertatis est;
Sed bona, publici boni interest.
Hæc verò latiùs se porrigit,
Ac ut optimum ad gubernacula capiat, peregrè abit.
Hinc sæpiùs placuit Princeps exterus,
Et dum bonus inquiritur, orbem placuit pervagari.
Toties fatigantur Suffragia,
Dum per Europam vestigant hujus fortunæ Candidatum.
Et fateor pulchrum esse, Orbem coronis & Regibus implere,
Ac Principum domos serenitate perfundere, quâ caruerant;
Sed Tibi electio peregrina, & vagabunda suffragia non omnino placuere.

*Quorsum enim (inquis) alienam quis excolat adornetq; spartam, neglectâ propriâ?*
*Si illustre est Principum fortunam latè per Orbem provehere,*
*Iustius est eandem Patriæ non invidere.*
*Cur felicior sit extera aula, quàm domi merita?*
*Imò non sine nota est, sterilitas magnarum mentium,*
*Quæ domesticum accipiant diadema;*
*Vel egere Capitis, quod corones.*
*Gloriosius id Regno,*
*Cùm domi alit, qui ad purpuram adolescant.*
*An dignos solio tantum aliena regna proferunt, Polonia non item?*
*Quid quòd aliud ingenium sub alieno sole trahitur;*
*Nec quod cum novo regimine congruat?*
*At morum & ingeniorum similitudo vinculum fomesq; publici in Principem amoris est.*
*Adhæc Rex peregrinus sæpe quandam histrioniam exercet in Corona,*
*Quando dissimulatio naturæ gentisque vitio*
*Ad subditorum indolem se explorare & componere persuasit*
*Tum popularis benevolentiæ studium,*
*Tum iustus odii vel repulsæ metus.*

Plura alia occurrebant, quæ in rem hanc diceres, Elector Purpurate:
Nec Candidatorum Censura aliud loquitur,
Quam luci & utilitati publicæ prælum etiam non invidit!
Is Tuus sensus, is & Comitii Poloni assensus fuerat,
Dum

Dum inter partium Ordinumq; alio tracta paulò antè studi
Antea MICHAELI I.
Nuper IOANNI III. Sceptra porrigeret libertas.
Tu ergo vetusta PIASTI tempora,
Tu consenescentem domi Principem fortunam revocas,
Ita exteros adamans,
Vt Patriam non oderis.

# XVII.
# PRIMAS REGNI PRIMUSQ; PRINCEPS
## *A SERENISSIMO*
# IOANNE III. REGE
## CREATVR.

**Per gradus tandem summum attingitur.**
Attigisti & Tu, Celsissime Princeps, Summū simul & ultimū.
**Non est quò Te altiùs Patria efferat, præterquam Roma,**
Merita, quæ Sacrum hunc apicem antevertunt, sic reponit Polonia,
Vt secutura nequeat coronare.
Sola meritis deinceps à meritis Corona,
Et ipsa sibi pretium Virtus futura, ipsa merces.
Ream sese Sarmatia constituit, dum merita huc promovit:
Nam paria tanto Culmini adhuc exiget, nec rependet,
Exhausto jam per Primatis insignia Honorum ærario.
Sed non primus pulchrum hoc Patriæ crimen condonas
Absolvit eam ab hoc reatu pridem tiarata tot Pontificum auctoritas.
Nam pridem magna nomina hanc ornant Insulam, rursumq; aliam merentur, (augentur.
Quòd una haud sufficit coronandis tot meritis, quæ in momēta
Vnius tamen jacturam, lucrum par obruit,
Quoties, qui succedit maximis, adhuc parē affert magnitudinē.

*Et majus est tantis succedere;*
*Nec timere à Magnorum consortio diminutionem;*
*Quam minora incurrunt sidera, dum soli componuntur.*
Præivêre quidem nativæ etiam Mitræ Ducum,
Et nuper bis Princeps;
Sed sufficit semel esse Principem Summum Primumqué.
Quare quod hac sub Infula maximè luxit,
Idem in Te aciem Orbis everberat.
Sublime est, quod capessis; sed non infra meriti culmen.
*Haud impar gloria, quam paria merita induêre.*
Priùs hæc pænè palpavit honor, quàm sub insulam ire iussit.
Moram in arbitria vocare vix licuit,
Cùm Tu Suffragijs occurristi.
Aufers ambiguis locū, cùm de Te præficiēdo æquitas deliberat.
*Alias nimis in ambiguo virtus, quæ moram imperat electuro.*
*Citò litem profligat causæ liquiditas,*
*Et rapit suffragium extra anceps posita Virtus.*
Nec alijs derogat Oratio; sed Tu felicior.
Pulchra est emeritorum in Regno fæcunditas,
Sed pulchrius est plura numerare merita, quàm coronas.
Beatum enim est sæculum, quod Heroas ac Principes parit;
*Et honores exhauriri non est Patriæ probrum,*
*Cùm illos exhaurit virtutis numerosa fæcunditas.*
Pone ergo jam Annulum minorem,
In alio Majori æternitatis orbem accipe,
Quo Tibi Summa dignitas subarrhatur.
Regni Procerumqué Primas evadis,
Etsi nullibi secundas obtines,
Vbi Meriti modus & apex inquiritur.
*Prima quidem sectanti honestum est in secundis consistere;*
Sed Tibi prima satius est sectari,
Ne felicitatem secundis tantùm inesse quis putet.
Auge jam titulorum lucem, qui accumulasti promerita.
Legatum Roma mittit, Patria gignit;
Et antequàm Alpes transcendat,
Tu Nuntio præcurris tempore.
Nam uno passu Honorum metas transilis,
Et tantæ eminentiæ attingis cognomentum.

Non

Non priùs venit à Romulo alter;
Quàm Tu à Lecho.
Tamen utrique est ſuus honor,
Et Petrum Andreas amat colitqué.
Quantus item ſis, Interregni ſpatia teſtantur!
Fluctuarent tunc omnia,
Niſi Remus ADALBERTI turbidum còérceret,
Et in tranquilla Patriæ Ratem transferret.

**Turbida quidem Interregno facies;**
**Sed aſtertis malaciam Magni Caſtores,**
**Ipſa vos pavent pericula,**
**Et alter Rex, Interrex eſt.**

Quin & Princeps à Te Coronam pro more opperitur inauguratò capiendam,
Nec vertice illam excipit,
Niſi Archipræſulis Coronantis manui tantiſper illū ſubmittat,
Quamdiu illam elevas ſupra Coronandum Caput.
Tantus es, ut regni fortunā & inſignia in manibus geras,
Et eum Principem adoret Polonia,
Cui hæc ſacrâ inauguratione offeres!
Rex eſt, quem conſecras:
Supremus Princeps; cui cum ſceptris regna committis.
At nec ſine Paludamento Quirinali Tua dignitas incedit:
Tu aliud Regibus induis; Tuum Roma Tibi.
Non enim ita in Eccleſiæ Senatum Vaticanā inſumit Purpurā,
Vt non in principes alibi humeros quidquā devellere ſuperſit.
Veſtire aſſolet ſumma ad aras principales Nomina,
Sacramqué trabeam tranſmittit,
Quoties regnare inter Cleri Proceres honor juſſit,
Cum qua Pontificiæ poteſtatis certa infunditur plenitudo.
Nam Antiſtes orbis, cui Roma paret,
In partem muneris vocat, quos vellere hoc inveſtit.

**Toga hæc ROMANA, Divinitatis cyclas eſt,**
Nec tam hominem operit,
Quàm vicariam Numinis Majeſtatem.

Hoc ergo Tibi munere Culmenſem Cathedram reponit Petri Cathedra!

Vſqué adeò Pruſſia ſui adhuc moris retinens

Et Pallii inſigne, & Purpuram donat poſt cruentatum Præſulem ADALBERTVM.

Sed humaniùs accipit Succeſſorem,

Vitam antè noverat auferre;

Nunc vittam Principem Antiſtiti Romæ aſſenſu detulit!

Antea coëgit mori, nunc in publicam oriri lucem.

*Sic ſenſim deteritur crudius ingenium, & comitate manſueſit antè fera indoles.*

Fluit apud illam Tibi ex honore honos:

Reddidit Te Poloniæ tantum, quantum non acceperat:

Non quòd Tu antea merito minor,

Sed quòd hæc, quàm geris, Purpura major.

Et ſanè recipit Te lætior Gneſna,

Magne PRINCEPS;

Ominata ſibi dies candidos ſub Olore,

Quem Maternæ Tibi Ceræ conſignàrunt.

# XVIII.

## INSIGNE GENTILITIVM CELSISSIMI PRINCIPIS ELOGIO DECORATVR.

OBtigiſſe Falcibus meſſem auream fuit Saturni fabula:

Carior aureâ meſſe campus Tuas exigit avitas Falces, Princeps.

Gneſna hunc obtulit, frugem cælo inferendam Falci deſtinas,

Sub qua non tam ætates,

quàm continuas æſtates ſibi ſpondet.

Nullus illi ſub hoc ſigno menſis fuerit

non Auguſtus,

Dum Auguſtum ſæculum Falces ingerunt, æſtivoſq; ſoles.

Adeò non tantùm Falces exercet labor, ſed ſol æſtaſq; inaurat!

Nec alius quàm ſacer illis incumbit labor;

Nam ager, qui in meſſem illis herbeſcit, in animis eſt,

In qui-

In quibus sacra sementis in culmum nobilem adolescet!
Pulchra verò his Falcibus cum Cruce fœdera.
*Nam sua Cruci etiam nunquam deest messis,*
*Seu ærumnas Falci oggerat, seu coronamenta ærumnarum.*
Imo Cruces hæ non cruciant,
Quarum usus in Patritium decus tantùm assumitur,
Non in cruciamentum.
Sed Crux in ceris mollior est;
Solidior, quæ Principem ad aras præit:
Adeo nullibi Andreæ nomen sine Cruce!
Deperit hanc Apostolus, & amat Cliens,
Quem Cælitum insignia Divis nativo fœdere inscripsêre,
Cùm Divorum insignia Ceris Majorum inhæsissent.
Non fluxa hæc gloria,
Quæ cælestes Animas ambit,
Et Tibi cum avito insigni perenniter inhæret.
Quod si triumphale signum Crux est; etiam Falces Tuæ triũphales.
Nam arma hæc spolia Martis fuêre primo illorum auctori,
Qui fracto Masoviæ Duci victoriam simul cũ hoc Falcato insigni rapuit.
Hoc à victo repetiit decus victoria!
*Et Falces optimè quadrant,*
*Cùm quis Victorias metit, nec herbam quamcunque sed lauream;*
Et Tu his Falcibus PRINCEPS, triumpha.
Nec mala Te Archipræsule oriantur, quæ non feliciter in herba succidas.
Denique is semper esto,
Sub cujus Cruce munitis Falcibus, meliùs quàm falcatis curribus Roma, Polonia triumphet.

Eò demum provecta est Primæ in Regno Cleroq; Purpuræ felicitas, ut cùm Maximos tantùm sacri muneris illapsu efferat, hanc magnitudinis nativæ seriem nunquam tot labentibus jam sæculis interrumpat. In parem incumbit verticem sacrum sub his fascibus diadema, quoties fessam meritis & sub facinorum mole laborantem alterius canitiem ad extrema deduxit; ac dum aliud summis etiam formidata mortalitatis jura submovent, par subrogant & supponunt caput. Scilicet in

Successore Purpuræ nō impar exigitur & sequitur semper magnitudo, tantumq; discrimen sumitur à tempore, non à Persona, quòd alios in hac fortuna priùs, non quòd æquiùs terræ coluissent. Non unicus illius fulgor est, nec in uno desinit, quin pari cum radio mox in aliis oriatur, nec in altero Sole (nam terra plurium capax est, etsi cælo hæc desit fæcunditas) par serenitas supersit. Adhuc ergo post prima regni auspicia Gnesnam non deserit prima Aquilarum fæcunditas, quando hucusq; nidum hūc incolit regnatrici Aquilæ par fortuna. Nihil penitus illi tot sæculorum lapsu tempora abstulêre præter annos & nomina, quæ sola temporis fluxu effluunt, etsi fatum nesciat eorum fama; sed aquilarum indoles adhuc relucet in Principum pulchra serie succedentium tam in fastigiū fortunæ, quàm gloriæ. Quos apex hic in principem accepit Purpuram, sublimior volatus illuc intulit, seu per magnæ lucis atria meritorum pennis sese antea librarent, seu summus etiam gradus illis foret pro limine, nec metam evolaturæ adhuc indoli præfigeret terminalis & honori insita Celsitudo. Aquilas jurâsses, nisi huc Olores etiam subvolarent, quos nativus & animo meliùs quàm plumæ inditus candor tantæ efficit fortunæ Candidatos. Non enim inane decus Ceris hìc imprimitur, sed si quæ illis nativo munere laus inhæsit, in hæredem animū cum Ceris influit, neq; nepotum acta segniùs id exercent, quo capta à Majoribus insignia claruère. Crevit tamen & Gnesnēsi Regiæ veneratio, quòd cùm tamdiu regni insignibus usitatis alibi caruisset, jam & Reges cōsecret, thronisq; inauguret, quæ Primum Principem Lechum tantùm in serò regnaturis nepotibus coronis destinarât. Nam primus hic nidus etsi regnà cōdiderit, coronam nesciit, donec Boleslaus Chobri caput extulisset, & Othonem Augustum raperet tanta virtus. Manet hucusq; Primorū Principum honos nomenquè, nisi quòd sanctius jam hoc evasit solium, nec profanum ambit verticem, quod Lechum profani arbitrum throni admisit, cùm rude adhuc Vaticanæ Religionis sæculum Romam tantùm per bella nôsset. Cæterum hæsère hìc semper Aquilæ, quæ adeò sublimem viam volatu ineunt, ut cælos etiā pulset, dum aliis præit hæc sublimitas in Sacrorum Principes devoluta. Honorū quidem

dem hic ultimus eſt, ultra quem tiarata ſummæ Infulæ Majeſtas non emergit; ſed tamen per hæc ultima, prima aditur dignitas; adeòqué, qui ad hanc fortunæ metam conſtitit, curſum inhibet fortunæ, etſi meritis ultrà contendat, cogaturq; merita cumulare nihil poſthac præmii præter immortalitatem relatura. Atq; hic tandem Honor Te reperit, Principum & Archipræſulum Fortunatiſſime, qui Summos à tot ſæculis ſibi indicto uſu inveſtigat, ſuamq; nonniſi Tuâ metitur magnitudine, quâ & maximis molem auges, & ab humo protinus attollis, quidquid nativæ humilitatis reum à cælo ſe longiùs removit. Nam & honorem ſequaci gloriæ paſſu illa Tecum comitatur felicitas, ut cū poſſeſſoris amplitudine in cælos abeat illius faſtigium; ut in ima ſæpius ſubſidit, ſequé deorſum ex alto præcipitat quævis altitudo, niſi aliena honorati Atlantis illam præcipitii probro eximat. Sic reponit vicem honorib⁹, quiſquis emeritos illis lacertos ſubmittit,& plus gratiæ refert, quàm in hærede purpuræ loco reperiſſet, ubi ſeipſo Curulium pompam auget grandiòr Purpuratus. Sic ergo celſa etiā Tuâ, Princeps, inauguratione cælo admoves, & Pontificium culmen aſcenſu Tecum elevas,non tam inde fortunatior, quàm à Te evaſerit, qui jam de ſe felicem cōperit, tantus honor! Nec diu minora trivisti faſtigia, par etiam ſummis; torpeſcentis animæ illud autumans, diu formare indolem, quam in altum proferat; nec dare continuò facinus, in cujus molitione ſæculum torpor impendat; cùm tamen cunctatio plurimū laudis decerpat, ſi lento laudem opificio moliatur. Et noveras diuturnæ in publico luci officere lentam inaugurationem, cū illam etiam ipſa extinguat in occaſum feſtinans ætas,quæ tunc primùm a principe titulo inclareſcit, cùm umbrarum viciniā non effugit jam jam imminens vitæ veſpera. Et tamen pleroſque in ſenecta is honor oppreſſit veriùs quàm extulit, nec citiùs ad hanc felicium, quam vitæ metam pervenêre, illato in Cathedram ſenio& deficientis vitæ reliquiis, quàm ipſa citiùs rapit ætas & effætus virium languor: imò poſt Galbæ odia,in Principe ſenium horret purpura, aut nimis brevem ſui uſuram indulget, quos in ſacris profaniſq; Curulibus honor in fata feſtinus adoravit, ortum hujuſmodi ſiderum occaſui fatali fæ-

dere innectens. Maturiùs Tu gloriæ curſum inchoas, cui lõgæva ( quod omen non ſervile aſſentationis ingenium extorquet, ſed pronior in debita virtuti præſagia voluntas ) ſuperſunt emetienda vitæ ſtadia, jacturam tot capitum ſolatura, per quorum geminata ſenio fata purpuram Tibi accelerare viſa eſt virtutis emeritæ auctoritas; ut ipſe moram beatioris fortunæ ( ſi nomen fortunæ patitur prenſata ſolo facinorum ductu infula ) portendat vegetus ætatis vigor, & nondum averſi à Poloniæ Gneſnæq; votis Superi. Ipſi etiam, quos cum alio murice priùs ingeſſerat virtus, faſces ſuæ jacturæ poſthabent Tibi feſtinatum decus, qui etſi videantur ſentire, quos per pulchra in majus divortia amisêre, tamen inde ſolatia decerpunt, quòd Tibi maturandæ felicitati per inductam ſibi orbitatem ſerviérint, & dum Tu altiora pulcherrimo aſcenſu premeres, primis exciderint. Nam & viduatis faſcibus novæ ſeſe voluptatis ſenſus ingerit, quoties vulgato populorum judicio innoteſcit, ea, quæ illis nativam lucem ſubtraxêre aut aliò tranſtulêre, nomina, non uni duntaxat terrarum angulo, ſed orbi etiam per ſparſæ latiùs laudis pignora pervadendo ſufficere potuiſſe: nec enim funeſtat viduata inſignia lux amplior, quæ ſibi etiam arrogant, quidquid decorum in aliò migraturum Principem obſtricta meritis ætas refuderit, quaſi etiam ad ſuffragium novæ purpuræ relicta conferat, & gradus ſit ad ſumma certior per illa fortunæ primordia, quæ Te hactenus pulchro cum laudũ fœnore tenuêre, poſt alios, à quibus præviæ ætatis ratio non meriti apex Te diſcrevit, ſuprema unico paſſu invaſurum. Iam Te quidem in alto prior defixit Infula, pridem non per declivia repentem; ſed alta etiam apud ingentes Animas faſtigium coguntur ponere, quoties eminentius quiddam ſupereſt; & hærere ſibi videntur in ceſpite, cui quamvis in collem modicus tumor plana ſubmittat, tamen vicini montis ſupercilium à plano ceſpitem vix diſcriminet ac ſecernat. Et aliis quidem Lechicæ Signaturæ dignitas vitam creſcendiq; terminos conſignavit, quibus pulchriùs viſum tali annulo æternitatem nominis adumbratam inchoâſſe: aliis quævis Infula caput & vota implevit, quos majoribus initiari neſcio quæ non ſinit ætatum malignitas, ſed in arcto imperare jubet: Tibi tamen gra-

dum

dum ad maxima, ipſa inſtruit magnitudo, & dū provehis merita, in planum evaſit alia ſublimitas, niſi pertingat, ad apicē honorum terminalem. Non ſatis ergo viſum eſt meritis eò uſque progredi, ut Regni Annulum manu caperes, quo Principis arcana vel gratiæ clauduntur: non ſatis & lituum Pontificium alterâ manu ſtringere, & famæ immenſitatem extra Curiam ad aras cæloſq́, etiam per Præſulis munus proferre; ſed illud viſum præſtantius, eò meritis antè quàm votis exporrigi, ubi unius muneris eminentia reliquis culmen adimit: nec is ambitus eſt, quem minor etiam exagitat honor, ſed virtutis erecta magnanimitas, quæ in arduum intenta, niſi cæli viciniā contingat, & terras unico gradu tranſcendat, infra deſiderii metas omnis abiit amplitudo. Et non vacuum id laudis eſt, non ita vota abjicere, ut animum à pulchrioribus deſpondeas, & conatum à ſumma rei laudumq́; cohibeas, dum per eximia quidem, ſed quæ juxta grandiora lucem exuant, ſtudium circumfers. Nam nec tibiis concinere ſatis canorū eſt gloriæ claſſicum, ſi vocaliori tubæ ſonitu aurem liceat famamq́; pervadere: & oleaſtrum præcerpere minùs decorū cùm poſſis laureâ capillum induere. Is mihi ante Phœnicis raritatem, qui merita in famæ ſolium erexit, vel eò uſq́; produxit gloriam, ubi creſcendi adimitur facultas, etſi intentiores animi curæ in commune ſe liberaliùs profundendi terminos pati nolint, ſolâ in publicum partæ felicitatis contentæ voluptate. Atq́; illuc Te meritis iviſſe, ubi ubi ſitus illorum apex etiam credi poſſit, is demum negaverit, cui non ſatis conſcium pulſat animum, nec pupillam radio maximæ lucis vindice ferit Archipræſuleæ dignitati affixus ſuopte ingenio fulgor, nullâ unquam vulgatâ per ambitûs leges induſtriâ quæſitus, præterquam ituris in faſtorum conſcientiam impendiis meritorum. Exeſſe enim ab hoc culmine animiſq́; viſa, etſi alibi calculum adjecit ad purpuram, ambitioſa cupiditas, quæ ut non ſemper dignū invenit, quem induit; ita magnitudinis ſpecie in eodem illudit tumor; aut meritū illi eſt favor Principis, nec odit in carbaſis tumorem, quæ Favonii tales implent ac diſtrahunt, etſi hi ſenſim etiam vela dimittant, ut periculoſiùs in vado detumeſcant. Tibi unica emergendi ratio per ſtrenua geſtorum,

& meritis honorum adyta pulsare: sic enim Tibi signatorius Patriæ regnatricis Annulus manum implevit, sic secunda purpura cum Culmensibus tiaris, sic summa cum Gnesnensibus occurrit; ut nempe nunquam molle otiū summa rapuit, quæ in generosi conatus præmium regnorum æquitas destinavit. dum enim proclivem ad pulcherrima perurges animum, quæ sola Tibi in stimulum abiere; ita Principem, ita Patriam obstringis, ut ex quo publicæ rei operam adjecisti, nemo sui nominis modum impleat, cui Tu facti excellentia in posteros nō præcurras. Nulli Te muneri addixit distincta meritis ætas, quod ex magnarum mentium præscripto non ornatius à Persona reliqueris, illud à Te exigere solitus, ut major operis Tibi laus hæreat, quàm tituli, & prima in officio sit immortalitatis parandæ ratio. Quamvis & transfusum à Sacris Curiæq; insignibus nomen stimuli vicem gerit ad actus prænobiles, qui etiam ante Curulium dignitatem abeant; eòq; regna potissimū conspirant, cùm Magistratuum ornamenta multis retro sæculis invexêre, quo virtutem splendidiore in publicum proferrēt apparatu: nam & merita his distingui, & pariter augeri admotâ à torquati muneris nitoribus face voluêre, ut cui fastigium placeret, non per infima vitam trajiceret, sed nôsset virtutes fascibus illigari, & facilè prætextam indui, cùm vitæ spatia grandioribus actis prætexuntur. alioquin torpore mens illi occalluit, cui lentum ad egregia non pervincunt ingenium hi stimuli, velut emortuum in purpurata ignavia perennitatis studium, stimuli sensum illi penitùs ademisset. Sed hæc plurium ætatum probra Tuus haud unquam incurrit honor, eum Te longo virtutis experimento ubiq; veneratus, qualium exempla posteris reiquè Sarmaticæ in purpura exoptasset. Honos ipse à Tui consortio semper evasit honoratior, & tanto æquiùs retinuit dignitatis nomen, quantò digniùs Tibi inhæsit; nihilquè illi contigit speciosius, quam Tibi se jure optimo infudisse, à quo tantum luminis in eum mutuò illabatur, eorum indolem aversante, qui pulchritudinem cognomenti factis imprimere non laborant, totâ veneratione à securibus, quas gerunt, expressâ; nullâ à publici moris ac vitæ dignitate. Fateri cogitur, vel qui censorium munus sibi arrogat in alienorum

censura

censura sui incurius, quòd cùm Tibi augustior Sigilli Sarmatici cura distinuit, nihil in Te ad muneris naturam non magnificum, ad curã annuli (in quo gemmæ vicem obtinuit actis insita serenitas) nil non honorificum eluxit. Responsa Principis vix quisquam pro Majestate magnificentiùs, pro rerum & sententiarum pondere nemo graviùs vel cum pari civilis eloquii laude reddidit, ex quo Tu Regio throno propior mentẽ Principum, cujus ante alios conscius & publicus in purpura internuntius, in animum & linguam primò, mox in aures Procerum transtulisti. Attonita à Tuo perorantis ore Curia hærebat, dulce Nestoris flumen posthabens, postquam in Tuo civilem Atticam degustâsset, quod illi mella & ambrosiam destillârat non alio documento compertam, quàm quòd famam Tibi aleret immortalem. Patuit profectò non irrita in Magnis natalibus latére dierum præsagia, & pulchro eventui viã præsternere facemq; venturis nitoribus prælucere in Horoscopo; cùm non sine pulchro insularum ac aureæ facundiæ omine Tibi Chrysostomi natalis aureæ torrentem linguæ insudisset, ut, quemadmodum in illo pretium oris & nativam linguæ præstantiam nomen prodit, sic Tibi dies ab Oratore aureo illustris auream urbanioris eloquentiæ venam aperiret. Quod si patuére illi Imperatoris atria, ubi in Eudoxiam fulmen ab ore sanctior hic Pericles minaretur, novo sanè prodigio monstraturus, quod aurum etiam fulmine graviùs percellat; & Tibi augustale limen reseravit regalis legatio, nisi quòd leniùs Tu ageres, nec fulmine res egeret, dum sacra augusti Connubii sancires fœdera, nec Eudoxias pareret illa Domus, vel Tu in Patriam flexanimæ linguæ obsequio deduceres. Nam Tibi etiam datum, ut regnatrices animas antea regno animisq; induceres, & in Austriacorum Fascia per nexus æternos Zodiacum accenderes, cùm L V N Æ KORYBVTIDI accederet è Cæsarum luce deducta serenitas, nec minore Paranympho tanti Majestas Connubii indigeret. Parem beatioris linguæ gratiam delibavit Purpuratorum in regno Antistitum ac Optimatium consessus, cum quo Curiam oraculis, Patriam consiliorum auctoritate muniisti, Diviné dicendi sentiendiq; usu Præsul, sententiæ auctoritate laticlavii Sarmatici velut oraculum.

Pridem hæc in Te lumina suspexit Principum nostrorum Regia, atq; à diurno solis spectaculo vota & oculum removit; quòd tellus etiam nostra daret sidera hujusmodi vel Zodiaco invidiam paritura. Vt verò Principũ arbitria coronant, quos terræ meritò adorent; fixêre in sublimi, quod in Te sæcula vel exteri nôssent, nullusq; hac ætate Sarmatiæ thronum insedit, qui non gravibus Reipub: curis Te arbitrum adsciscerct, & Procerum negotia Tecum in purpura partiretur. Primus in solem hunc protraxit, etsi umbratici situs squallorem antè nescierit, Tuũ nomen IOANNES CASIMIRVS, dumque curiæ Polonæ Te pulcherrimo auctum nomine immisit, excivit hujus sæculi præconia in Civilis Prudentiæ decus, novusq; Ephestioni obtigit Alexander, qui minore annulo regalis benevolentiæ argumenta cõprobaret. Sed altiùs progressa est virtutis veneratio, dum quam Lechico annulo adornarat, etiam Pontificio insigniret, quòd sacram etiam ad aras inaugurationem meruisset, quam purpura jam coleret; vel quòd non sufficeret ornando una æternitas (quam annulo inclusit insueta Symbolis recondita Ægypti eruditio) sed geminam æternitatem duplex annulus Tibi circumagere debuisset. Coronavit CASIMIRI arbitria mox augustus Successor, auxitq; publicum decus honorariâ (quam paulò antè Oratio coluit coletq; semper recordatio) in Austriam missione; ne plura domi colligeres, quæ spectanda exteris subtraheres ornamenta. Nam non ad tenuis obsequii usum destinantur grandes animæ, sed quod à negotii Majestate non tam obsequium, quàm Principum honor amorq; est, aut quædam regiæ Personæ ac nominis imitatio. Plus tamen gratiarum sub IOANNE III collegisti, quem dum unà cum gemino suffragantium ordine throno destinas, ipse mox tiaram induis, placuitq; Principi eò demum Te inferre, unde jam vetaret sublimiùs nõ profanæ terminus Majestatis, Ita Principum vota in Tuæ amplitudinis auctaria conspirant, dum novis continuò colunt attolluntq; insignibus, quam semper in Te suspexêre mille décorum quà Curiam, quà Sacra concernentium claritatem. Nam ut Curiam beâsti consiliis, ita ubiq; ari (id quod Culmenses testantur infulæ) nitorem depulso veteri delubrorum situ, Sacris

cris

cris Majestatem intulisti, quamvis sat ara nituit, dum illi Antistes pro sidere offulsit, nec ignium magis ardent lumina, quã ab illo inardescant, non minore incendio animum pervadente, & ut facilè victrix flamma erumpit, per pulchra indicia spectatorum oculos perstringente. Obstrinxit idem Præsulis munus & Divos Indigetes, quos admotis cælo à pietate machinis, in terrarum suppetias cælitùs deduxisti, sacram in primis in STANISLAO KOSTKA prætextam veneratus, cujus beato nomine insignire placuit juratam divino cultui molem, ut templis etiam inferret, quẽ bajulis adstrinxit ulnis DEVM, post Chocimenses laureas antea SIGISMVNDO, nunc etiam IOANNI III ingestas, armorũ hostiliũ in Dacia, adhuc animorum in Polonia triumphalis expugnator. Sine pugna tamen & pectoris lucta illi cõtigit apud Te laurea, qui dare classicum aut repugnare non assoles, si animum cælestis flamma oppugnavit, maximè dum Sarmatiæ Seraphinus ignes ad pectus admovet triumphales. Et eximium id sanè, Princeps, quòd idem etiam de Te, qui primum de Numine, triumphum canat Amor, idem Tibi in præcordia illapsus KOSTKA, qui cor etiam Beatum cum præda cælite manu gerit. Erigis victori trophæum, nec curru triumphali tantùm in aëre vehi, sed in templa etiam invehi sinis, dum primus Lechicum Tutelarem ritu sacratiore colis, ituris in ævum lapidibus & sanctissimæ moli nomen id imprimẽs, primusq; de STANISLAO sic meritus, ut nullibi quisquam. Colit quidem STANISLAVM & Craci Regia, sed latius tanti nominis cultum profers, nec tam Audacis, quàm Amoris victimam coli jubes, &, qui Curules Patrias, ac purpuræ domesticæ blandimenta Romam usq; fugerat, post fata etiam, quibus nullius vita beatior, domum revocas fugitivum. Hæc ipsa, quæ Beati Indigenæ cognomento inscripta consecras saxa, in fixum gloriæ monimẽtum Tibi abeunt, illius Tuumq; pariter celebratura nomen, Iam & lapides in vocales animantur Memnones, dum novo beneficentiæ radio afflati emollescunt: imò ipsa novæ artis magisterio sapit moles saxea, ferroq; domita durius ponit ingenium, dum in eximiæ religionis reverentiam grata posteritas etiam rude marmor erudit, mutoq; lapidi linguæ officium

 virtu-

virtutis prodigio impertitur. At immortalia de terris poſt Divos merita etſi anterior celebrârit ætas, hæc tamen effuſiore ſinu id cumulatiùs agit, cùm illuc merita promoviſti, ut niſi ſupremum in verticem enitantur, infra æquitatis terminos abitura ſit præmii celſitudo. Primatem Te quidẽ merita non hodie primùm adoráſſent, ſed expectatum eſt, donec ſuâ laborarent mole, ut non tam illis beneficium ſit Infulatorum apex, quàm merces, atq; adeò novo ſe crimine adſtringerent, niſi primæ Pontificũ ac Principũ tiaræ Tuo vertici inſediſſent. Gloriæ tamen intererat ferre alieni capitis coronamentũ, antequàm immineret Tuo, ut initæ poteſtatis auctoratio pretium palmamq; duceret à virtutis fortunæq; certamine de Te aliiſq; ineundo, qui ante eidem infulæ caput emeritũ ſubmiſerant fatis jam prævertentibus ſubmoti. Illuſtrius tamen id inter ancipitẽ pulchri certaminis aleã, quòd alios præmiſeris ad Sarmatici Sacerdotii faſtigiũ, cùm neq; Tu obliquo itinere illud iniveris, habiturus par à merito ſuffragiũ, quod illis rara ejuſdem magnificentia impendiſſet. Luctam enim merita ineunt vel poſt Principum fata, & nobilem arenã occupant, imò functos etiam munere ac vitâ Manes in certamen laudis cum Succeſſore eliciunt, ubi triumphum aut utriq; decernit nõ hoſtilis famæ auctoritas, aut utrinq; paribus momentis fluctuãs, ancipiti judicio famæ ſententiam ſuſpendit. De Te nihilominus ſubducit ambiguis locũ certitudo, & erradi metũ proſcribit in-eluctabilibus in omnem ætatẽ documentis itura ætatis noſtræ conſcientia, & quæ liquidum nacta ætatis Criticæ teſtimoniũ, ſupremos in ſacris faſces initura virtus, extra ancipites encomiorum metas longiùs progreſſa. Par enim culmen non degener paſſus iniit, & quidquid tiaram hanc meritæ mentes ADALBERTI Cathedræ intulêre, Tecũ pulcherrimâ poſt hominũ memoriam põpâ in hoc Divorũ domicilium penetrat, & ante Procerũ ſubſellia principe loco collocatur. Ipſi, credo, coronati Antiſtitũ Manes è mortuali buſto (ſi buſto etiã capitur tanta laudũ immenſitas) imò è Beatorum Patria, ubi certiore de meritis judicio decernitur, non infelicia Gneſnæ evẽta poſthumo plauſu celebrant, dum ejus infulas Tuũ ſerenare verticẽ intelligunt, à quo & vetuſta Põtificii moris, & à ſe re-

licta

licta jam animis præcipiant documenta, imò recentia spondeant suisq; etiã grandiora. Victuros se adhuc post fatorũ inclementiam in Cathedra Principe illi autumant, dũ Tu vivis; nec sibi fata memoriã ætatũ intercipere, quã Tu æmulis tot laudũ conatibus oblivionis injuriâ vindicabis ceu viva spiransq; tot sacrorum Principũ imago, in qua spirare videantur vel extincti. Nimirum succedentium illustris series dum per impressa ab aliis famæ fastisq; vestigia librare gressum satagit, & per paria indolem traducere, etia Principum mortes animat, & fatis eorundem novam inducit anastasim vi operum thaumaturgâ; simulq; dum adhuc ævo superstite æternitati laudũ insinuat, quos gestorũ gloriâ refert, illos vitæ pignore prodigiosè donat. Vt enim minorũ flagitia dum Majorũ gloriã præfocant, eos veluti per quoddã nominis vulnus cruentant, quò velut gemino fato concidant infausti manes; sic & nepotum gloria, vita Majorũ est, & sequacium tẽporum Procerũq; decora vel infelix series, eorũ nomen in vita revocat, quorũ insignia posteros accepêre. Nec à Te aliud spei trahere suadet probata inter minores etiam aras religio, quæ & KARNKOVII profusã in Cælitum animorumq; culturã, & LVBIENII conjunctam cum sapientiæ laurea pietatem, & inprimis cælo inscriptam ADALBERTI gloriã revocabit, cujus Purpuræ successisti, & Tua jam deinceps erunt ut honoris, sic virtutum insignia, quæ Divũ Antistitẽ ornavêre. Iamq; etiã inde cum bis purpurato Præsule semel à cultrice virtutis Polonia, pòst à cruenta Borussiæ veteris immanitate, communeTibi illud gloriæ intercedit, quòd inTe augustales animos pari felicitate inclinâsti. Nec enim Othone Tertio LEOPOLDVS minor; at verò ut ille Othoni cor pænè abstulit, (nam amor pulchram cordiũ rapinam dulci violentiâ exercet) Tu solerti tot dècorum artificio LEOPOLDI animũ invasisti. Testis est Vienna, quam equestris elegantiæ comitatu & cultu propè ad triũphalis pompæ gloriã redacto rapuisti, sed AustriacũOccidentis Principẽ in admirationẽ primò, demum etiã in amorẽ impulit non unum Oratoris Regii decus, & per urbanioris politiæ leges circũacta civilis ingenii Majestas. Adeò Principum animi cõmune Tibi cũ Primo Præsulum Gnesnensium Principe ADALBERTO domici-

miciliũ deſcripsêre! Quod ſi librata illius dignitas in lance aurea, pretio certare cũ principe metallo abnuit, nec ſperare par pondus potuit erutus è terræ venis theſaurus & cælis inaugurata virtus; etiam Tua, ſi arbitriorũ trutinâ exploretur, pretiũ cuivis adimet meritorum magnitudo, quæ in locũ principem eluctata, infra ſe minus virtute pretiũ reliquit, repetiitq; prodigium veteri Pruſſiæ in ADALBERTO pervulgatum. Mitior tamen eſt Pruſſia, dum Tu in ſacris imperas, & ferocia pridem poſuit, cùm ſub Romanis legibus miteſceret rea ſemel in Superſtitẽ ADALBERTVM, nunc mortuo ſupplex; rurſuq; inſeſſam Divis Cathedram venerari didicit Te magiſtro. Non enim antea Gneſnam occupâſti, quàm ſacra Pruſſiæ jura dares eò uſq; in Te effuſæ, ut non facilè ſibi eripi tantum Præſulem pateretur, niſi Archipræſulem adoraret, profundiùs veneratura in Te ſuo priùs Antiſtite, jam Principe, quidquid in ADALBERTVM immanius delinquens colere omiſiſſet. Colet inſignia Martyris in Purpurato Succeſſore, & obſequium ſcelus obliterabit; imò & ſuam in Te venerabitur fortuna Boruſſia, quòd Primum Principem dare potuiſſet, vel quòd ab illa etiã ſummus tiaræ fulgor capiatur, & Ara Gneſnenſis, etiam à Culmenſi purpura nova lumina mutuetur. Tadiu Te minori clivo detinuit ad altiora, quæ ſuo nomini impreſſit, culmina tendentem, donec minorem ſe fateri cogeretur, quàm ut immenſa laudum Tuarum caperet, plurimũ inde ſuo nomini acceſſurum non ex vano ominata, quòd illuc in tantos etiam fæcũda viros, principem tranſmiſiſſet. Nunc primùm agnoſcit rarũ fortunæ munus, cùm ejus jacturam æſtimat, ignara, quantum gereret, niſi cùm amiſit: ut nempe ſerò animum damna percellunt, dum jactura lacrymam ciet, ac in luctum palpebram damno erudit. Quanquam etiam, dũ in Pruſſiæ Cathedra Te de genu percoleret, ſatis exploratum habuit, Te cuivis faſtigio parem eſſe; niſi quòd Antiſtitem duntaxat inter Sarmatici annuli curas ſuſpiceret, de quo Principis eam præſagia latuiſſent. Ægrè igitur Te à ſuo complexu dimittit, dum ſuam tacita pẽſat, quæ illi Tecum affluxerat, felicitatem; nec facilè hæc divortia pateretur, niſi major animos inundaret lætitiæ ſenſus de Tuo culmine, quàm de illius gloria, cùm Te in altiore quodã-

modo

modo cælo virtus defixerit, & veluti Primæ Magnitudinis Aſtrum effecerit ſub Primatis nomine terris illuceſcens. Et ſanè in eo fortunatiſſimè conſtitiſti gradu, unde citiùs deficiant qui copiam lucis excipiant, quàm Tibi radii, quos tum inhærens titulorum Majeſtati ſpargat in commune ſerenitas, tum factis inſita illuſtribus, nec alium ſui auctorem teſtaturis, quã Te, quem geſtorum nativa dignitas popoſciſſet; cùm actorum grandium originem nemo ad tenuiorem animam referat, quæ conatus ac Auctor à tenui ſecrevit, & eximii facinoris granditas ferme operantis magnitudini coæquatur. quamvis magnitudini Principum non alia notior digniorq́; menſura, quàm illi ipſi, qui aliis vel fiduciam paris eminentiæ, vel pari faſtigio felicis anſam jactantiæ ſuſtulère. Nempe quæcunq; vaſtitas facilè compoſita alienæ detumeſcit, ſi molis imaginariæ antea tumor illam diſtrahebat. Nec facilè ſubiret tanti, quod Te anteſert purpuratis, muneris molem humana imbecillitas, niſi in Te ſacro parem oneri Atlantem irruiſſet, cujus viribus nulla illuſit unquam nec illudere queat coërcendarum per regimẽ terrarum gravitas & fortunæ magnitudo. Præmiſit hæc ante principes Primatum mitras inſulatæ Pruſſiæ experimentum; non quòd æquè major ac minor Corolla benè capiti hæreat, quod ſolidâ mole premit; ſed ut inter vittæ minoris experimenta Poloniam erudiret non unico tunc argumento cõperta capacitas, Te vel maximæ non impar caput gerere. Quocirca breviore morâ aliorum purpuram definivit, & tantillum vitæ honoriſq́; ſpatium illis indulgens, ad ſui perennitatem in Te maturandam illud ſpatii, quod ſupererat, redegit. Nam & LESZCZYNIORVM Magnificentia,

- - - *dum pulchris urit ſplendoribus orbem*,

citò in umbras deſiit emortales, Vruſq; veriùs in victimam ad aras conſtitit, quàm ad longum infulæ Pontificiæ uſum: nec PRAZMOVIANO Nomini inſertum cum etymo vincendi omen, ultra quinquennium fata evicit, ſoleis avitis terras proterens, dũ cælos peteret: nec Flos Principum CZARTORYSCIVS extra falcem, non ita effloreſcens in nomine, ut eundem effloreſcere diu ſinerent fata in munere, cùm Eques ille Ducalibus ceris impreſſus primo pænè paſſu Olym-

pum attigerit, vix laudum Olympia inter geminæ tiaræ, natalitiæ scilicet sacræqué metas decurrere exorsus. Tibi hæc cessêre nomina, quibus initi honoris annos cum terminalibus vitæ horis extrema confuderant; & raptâ citiùs, quam properato meritorum cursu collegerant, gloriæ immortalitate, Tibi pulchra Olympia reliquêre, longiori annorum revolutione, quam & Sarmatiæ vota, & nōdum in senium deflexa ævi spōdet maturitas, deterenda. Dabis ergo in hoc publicæ lucis & laudis stadio vel theatro actus prænobiles ubiqué eximius, dum gloriæ scenam agis; etsi etiam sine scena & theatro non frigidè suas peragat partes mens pulchris facinoribus innutrita: dabis grandia quæqué, quorum conscientia & sese circūagens ætas in Tuî venerationem, & subsequens facinora cum plausu excepturum in æmulandi necessitatem impellat, ita ut non invito euntium annorum consensu beatior eventus comprobet, Te bono hujus sæculi ac Primatis Insulæ non sine benigno fatorum arbitrio destinatum.

A. M. D. G. B. V. I. C. H.